DOCUMENTA

PHILOSOPHIAE ARABUM

EX CODD. MSS. PRIMUS EDIDIT, LATINE VERTIT,

COMMENTARIO ILLUSTRAVIT

DR. AUGUSTUS SCHMOELDERS.

BONNAE,

TYPIS REGIIS ARABICIS. IN OFFICINA FRANCISCI BAADENI.

PROSTAT APUD EDUARDUM WEBER.

MDCCCXXXVI.

VIRIS CLARISSIMIS

GEORGIO WILHELMO FREYTAG,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, AQUILAE RUBRAE EQUITI, SOCIETATT. PARIS. ET LOND., INSTITUTI BELGICI, ACADEMIARUM BEROLIN. ET PETROPOLIT. SOCIO

ET

CHRISTIANO AUGUSTO BRANDIS,

PHILOSOPHIAE DOCTORI EIUSDEMQUE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, AQUILAE RUBRAE EQUITI, ACADEMIAE BEROLIN. SOCIO,

HUNCCE LIBELLUM

EXILE PIETATIS ET GRATITUDINIS MONUMENTUM

D. D. D.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Quamquam non dubito, quin multi sint futuri, qui me in conscribendo hoc libello plane inutilem, vel supervacaneum saltem laborem suscepisse dicant: ab aliis tamen viris doctis non modo non veniam rogandam esse, sed conatus mei consilium etiam probatum iri, mihi est persuasum. Nostro enim tempore, quum philosophiae historia vero cum amore excoli coepta est, nullius, qui philosophum vel minoris nominis notiorem reddat, eiusque doctrinam subtilius examinet, despicitur opera. Hinc quoque factum est, ut plurium ignobiliorum philosophorum doctrinas exploratas habeamus, quorum nomina maiores nostri vix audierint. Nihilo minus tamen quantum Arabibus, qui cum medicina ipsam quoque philosophiam Graecam in terras occidentales introduxerint, Scholastici debeant — ut taceam de gravitate, quam eruditionis, qua quisque populus gaudeat, philosophicae cognitio per se iam habet, — huc usque non ita ad liquidum perductum est, ut hanc rem

ex ipsis Arabum scriptis exponi non cuique summi sit momenti. Quod quum saepius animadversum vidissem, iis praecipue viris, qui tenue hoc opusculum nominibus suis ornare haud dedignati sunt, hortantibus philosophiae Arabum specimen qualecunque in lucem mittere aggressus sum. Quidquid igitur frugi ei inest, ad hos omne redit. Freytagius *enim* Hamakerum, *amicum suum clarissimum, cuius iam deplorant mortem musae orientales, per literas ultro datas de consilio meo certiorem fecit, atque, ut mihi ex bibliotheca, quae Lugduni est, regia codd. mss. demandarentur, petiit. Quod in optatis fuit, factum est. Hic enim vir humanissimus literis mihi ipsi missis ad exsequendum propositum me exhortans, duos mihi credidit codices, quorum alter, quem* A. *nominavi, sub Nr.* 184, *alter lit.* B. *a me significatus sub Nr.* 1002 *in catalogum relatus est. Uterque liber forma est octava,* A. *satis bene scriptus,* B. *autem festinanter exaratus et interdum, quoniam puncta diacritica saepissime omissa sunt, lectu difficilis.* A. *varias variorum philosophorum continet commentationes, quarum praeter tres nunc editas, alias quoque in usum meum descripsi et locos nonnullos in animadversionibus exhibui:* B. *non nisi plures Alfarabii disputationes philosophicas complectitur. Avicennae de logica poematium in solo* A., *Alfarabii autem dissertationes, quae primum et tertium nostri libelli locum occupant, in utroque codice leguntur.*

Sed de codicibus hactenus. Versionem meam quod attinet, nonnulla minus accurata esse ipse scio et omnes, qui, quam difficile sit, in disciplina plane inculta quidquam elaborare, experientia didicerint, condo-

naturos esse spero. Partim enim singulae sententiae, praecipue in Avicennae poematio mirum in modum sunt concisae; partim plurimi termini technici, quos vocant, vel nondum noti, vel non satis distincti haud parvum parant laborem; partim autem ipsum hoc philosophiae genus multum habet et alieni et difficilis. Nihilo minus vero me graviora vitia commisisse non credo: minoris momenti errata vel in notis iam correxi, vel, ut benevole ea ignoscant viri docti, candide peto. Pari cum aequitate, quo usus sum, loquendi genus excusetur quaeso. Sermo enim Latinus, ut ad philosophica argumenta in universum parum aptus, disquisitionibus philosophicis ex Arabica lingua transferendis minus etiam accommodatus est. — In animadversionibus tum ipsas sententias paucis verbis illustrare studui, tum lectorem ad cognatas doctrinas remisi. Ad extremum libellum indicem adiunxi vocabulorum philosophicorum, quae aut in lexicis desiderentur, aut definitione et distinctione accuratiori indigeant. Quum vero in philosophia Arabum recentiore tempore nihil fere elaboratum viderem, huius doctrinae gravitatem paucis ostendere conatus sum in introductione, quae in duobus argumentis versatur. Alterum ad quaestionem spectat, num Arabes in Scholasticorum philosophiam revera vim exercuerint: alterum de Aristotelis est versionibus, quibus philosophi Mohammedani usi sint. Quam utramque disquisitionem, utpote ab hoc loco alienam et viribus meis maiorem accurate persequi non potui: quapropter, si aliae res vulgo notae denuo allatae, aliae non satis inter se aptae videantur, me eas potius indicare, quam exponere voluisse, lectorem monitum velim.

Vestris autem nominibus, duumviri clarissimi, quod hunc libellum insigniri concessistis, vehementer gaudeo, quippe quem vestris auspiciis conscripserim et ad finem perduxerim. Tibi enim, Freytagi, *sunt vindicanda, quae ex Arabicarum literarum disciplina, Tibi,* Brandisi, *quae ex philosophiae penetralibus deprompsi: cuique vestrum coniuncti studii, si quae sunt, emolumenta.*

Addenda et Corrigenda.

pag.	7	lin.	6	pro	*Danteus*	lege:	*Dantes*
—	—	—	18	—	*Dantei*	—	*Dantis*
—	68	—	4	—	(l. l.)	—	(de fin. V, 5.)
—	—	—	5	—	*commentarios*	—	*populariter scriptos*
—	80	—	33	—	mutarimus	—	mutavimus
—	117	—	4	} —	Adhaeddin	—	Adhadeddin
—	119	—	3	}			

In ipso textu:

— ۲۰ — 4 — اقنع nunc ex coniectura mutandum esse censeo in افنع, quam ob causam pg. 38. l. 9 vertendum est: *Opem praesta fratri, etiamsi iniusto, saepe enim fama tua augetur, si ille ex improviso te obruit.* Quae igitur pag. 83. ad versum 219 notavimus, delenda sunt omnia.

Cetera levioris momenti vitia benevolus lector ipse corrigat.

Res est singularis et in historia medii aevi notatu dignissima, Arabes, qui, ipsorum scriptoribus testibus, antequam Asiam, Africam, Europam inundantes Mohammedis placita ferro propagavissent, praeter linguae suae peritiam et in condendis carminibus exercitationem nullam omnino coluerant artem et doctrinam, subito Aegyptiorum, Indorum et praecipue Graecorum literas, quae quasi emortuae iacebant, suas fecisse, et disciplinas, quas ab exteris gentibus didicissent, auctas et ornatas in exteras quoque regiones ita transtulisse, ut imperio eorum deieto Arabiam ipsam ab omni peregrina eruditione nudam et alienam videamus. Nulla profecto praeter Arabes unquam extitisse videtur natio, quae tanta facilitate et intra tam breve temporis spatium aliorum, tum moribus, tum indole plane diversorum populorum artes et disciplinas adoptaverit.

Simulatque enim bella, variis gentibus eo consilio illata, ut Mohammedis legem amplecterentur et in obsequium Chalifarum iurarent, composita fuere: imperatores Abbasidae talem effecerunt rerum statum, ut, ipsis regnantibus auream orientalium terrarum aetatem floruisse, haud immerito dixeris. Quippe non solum lauta delicataque vita et mores elegantiores invehebantur, sed etiam humanitatis studia et pacis artes summa cum diligentia excolebantur. Quae enim ad erudiendos et poliendos Arabum animos aliquid conferre potuerunt, ea omnia a principibus magna impensa e remotissimis etiam terris arcessebantur. Bagdad, pacis urbs nominata et caput atque arx regni facta, pluribus scholis, immensae magnitudinis bibliotheca et tali ornata est instituto, quale nos academiam appellamus. Qui Syriam praecipue incolebant Christiani doctrinam suam libere profitentes et ritus sacros publice observantes, in Graecorum libros, Syriace versos, summopere incumbebant et ex his unamquamque sibi disciplinam comparare diligentissime studebant,

Chalifae vero hoc studium in dies promovebant, augebant. Summa cura pervolvebantur Graecorum libri. Philosophia autem, rebus medicis consociata, una omnium disciplinarum maxime alliciebat Arabum animos fortes et altiora petentes, ipsisque quasi arenam praebuit, in qua vires ingenii tentarent et exercerent. Graecorum poetae et rerum gestarum scriptores, licet Arabibus non prorsus ignoti, soli nullam movebant admirationem et neglecti iacebant, quum partim orientalium populorum indoles a nationis liberae habitu, moribus, institutis tantopere abhorreat, ut ex huiusmodi libris nullam capere possit voluptatem, partim rigida Alcorani doctrina de uno deo, supra omnia, quae sensibus percipiuntur, elato, recentior esset atque ita in succum et sanguinem versa, ut de multitudine deorum vel loqui summa haberetur impietas. Ars vero medica necessaria erat populo, qui simplicibus pristinis moribus abiectis molliter et luxuriose vivere incepisset; philosophia deinde viros, mentis sagacitate, ingenii acumine, liberiore cogitandi ratione eximios, ea docere promisit, quae Mohammedis placita vel omnino non indicarent, vel dubia relinquerent. Hae igitur disciplinæ intime consociabantur neque inter præstantissimos Arabum philosophos, qui veteres Peripateticos sequebantur, facile ullum inveneris, quin æque in rebus medicis atque in philosophicis excellat. Hippocrates et Galenus in medicina quasi principatum tenebant. In philosophia imprimis Aristoteli summam tribuebant auctoritatem. Quo iam duce Arabes probaverunt, quantopere, et quam sincere subtilia philosophiae argumenta perspicere et accuratam atque certam cognitionem sibi parare voluerint. Gentem enim a vanis argutiis alienam, sano iudicio et incorrupto ingenio praeditam, ille solus scriptor allicere potuit, qui discipulum a primis inde logices rudimentis usque ad subtilissimas quaestiones metaphysicas scrutantem comitetur, eumque, ne a via recta aberret, iusto argumentorum ordine tueatur. Quum autem Arabes nulla philosophiae cognitione, quasi viam muniente, instructi statim libros Aristotelis, cuius doctrina maxime iam exculta fuit et elaborata, perdiscerent, fieri non potuit, quin philosophiae studium apud ipsos servilis repetitionis et imitationis speciem magnopere prae se ferret. Illi, ut Aristotelem penitus perspicerent, scholiis, commentariis et isagogis indigebant,

quapropter Graecis commentatoribus summam operam navantes, pauca tantum nova, in historia philosophiae memoratu digna, praestitisse videntur.

Ceterum autem, si levem et tenuem, quam huc usque de philosophica Arabum eruditione habemus, notitiam spectas, recentioribus temporibus iusto saepius et nimis temere dictum est, eorum philosophiam meris Peripateticorum dogmatis contineri. Quae novimus pauca Arabicae philosophiae documenta iam satis probant, Arabes plura Aristotelicae doctrinae argumenta subtilius elaborasse et accuratius definivisse: quo factum est, ut in nonnullis rebus *Leibnitzius* cum illis quasi cognatione aliqua consociatus videatur. Realium et Nominalium, quae vocant, differentia, de qua controversia exorta est, quae a Scholasticis diu et acerbe habita ad recentiorem quoque philosophiam plurimum valuit, apud Arabes, licet a *Porphyrio* iam indicata, primum clare exposita est et distincta: eodemque modo alia maiore cum diligentia disquisita sunt. Accedit, quod praeter nonnulla Avicennae et Averrois scripta, quorum insuper ob pravam versionem Latinam pauci tantum loci intelligi possunt, de Arabum philosophia nihil fere perspectum habemus. *Algazalium* v. g. Peripateticorum doctrinae se opposuisse ex eodem Averroe tantum scimus; quid aliae philosophicae sectae, quarum plures exstitere, docuerint et perfecerint, plane nobis ignotum est, si pauca illa excipias, quae *Moses Maimonides* (More Nebochim) de philosophorum, qui vulgo Medabberim (متكلمون) appellantur, placitis nobis tradidit. Atque haec pauca huius sectae dogmata satis superque nobis demonstrant, multa ab illis et ingeniosa et praecipua perfecta esse*).

---

*) Tiedemannus (*Geist der speculat. Philos. IV. pag.* 157) *de hac secta ita loquitur: So viel geht aus diesem mangelhaften Abrisse hervor, dass diese Sekte einen durchaus neuen, und mit ungemeinem Scharfsinne begleiteten Versuch machte, die mechanische, und auf einfache Körperbestandtheile hinausgehende Philosophie, mit dem System der Weltbildung und Weltschaffung zu vereinbaren, und dass, hätten wir diess System ganz, wir von den Arabern und ihren Verdiensten um die Weltweisheit viel vortheilhafter urthei-*

immo variae, quae de sacris prophetae effatis et statutis disceptaverunt, sectae Motazelitarum, Kadariorum, Schiitarum, aliorum multorum, qui distinctionibus et disputationibus philosophicis frequenter excelluere, usque ad hunc diem non accurate notae sunt *).

Quibus rebus ita constitutis facile intelligimus, Arabibus neque animi vigorem defuisse neque ingenium ad excolendam philosophiam idoneum. Sed tempus, quo ea, quibus operam navaverint, plane elaborarent, illis denegatum fuit. Qua enim celeritate ipsorum regna condita erant, qua deinde doctrinae et artes effloruerant: eadem in deterius omnia mutata ac mortua sunt. Quippe qui perpauca saecula splendore et gloria ornati omnium fere populorum admirationem moverant, cunctisque armorum vi terrorem incusserant, iidem in patriam reduces in statum relapsi sunt, qui, si literas spectas et artes, haud multo praestantior est illo, in quo priscos Arabes vixisse scriptores diserte affirmant. Nulla gens in terris exteris magis dives, nulla in patria magis egena.

Quae autem Arabes in quacunque disciplina elaboravere, sive summi, sive levis sunt momenti, ea nobis non solum ideo memoratu digna sunt, quod et incrementum et deminutionem literarum apud ipsos cognoscimus; sed etiam quod Arabum studia et opera, si nostras eiusdem generis disciplinas respicimus, singularem habent gravitatem et auctoritatem. Nam haud pauca, quibus hodie etiam in mathematicis, astronomicis, physicis, medicis, aliis disciplinis utimur vocabulis, manifesto probant, quantopere illae ab Arabibus fuerint excultae, quam multa ab iis inventa acceperimus. Magia, astrologia, alchymia ceteraeque disciplinae, quibus medio aevo nostratium animi mire delectabantur, quibusque mentes ad portentosa et monstruosa propensas atque miraculorum studiosas explere gaudebant, ab Arabibus, quorum academias, in Hispania conditas, Francogalli, Germani, Itali, alii frequentabant, ad nos pervenere. Quid Arabibus, quum Indicas numerorum notas

---

len, wie auch den bisher gemachten Vorwurf der blinden Nachbetung, ihnen gänzlich abnehmen müssten.

**) *Cf. Pocock. spec. hist. Arab. ed. White, pag.* 17. *seqq. et Maimonid. More Neboch. III., c.* 15. *seqq.*

nobis tradiderint, quum Indicam disciplinam, quae etiam nunc Arabico nomine Algebra vocatur, nos docuerint, in rebus mathematicis debeamus, nostrum non est exponere.

Philosophiam quod attinet, prioribus temporibus hanc quoque per Arabes traditam esse statutum est, quippe quum et origo singularisque philosophiae scholasticae ratio et Aristotelicorum librorum apud maiores nostros notitia ab iis deductae esse dicerentur. Cuius opinionis defensorem unum ex innumeris aliis, summae auctoritatis virum, laudasse satis est. *Jos. Scaliger* *) „Profecto," inquit, „quidquid Latini scripserunt, postquam illos inscitiae suae monuit Arabum industria, id totum Arabibus acceptum debent, philosophiam et medicinam et mathematica. Nam nullum Graecum scriptorem habuerunt, quem non in Arabicam linguam prius, deinde ex Arabica in Latinam translatum legerint." Recentioribus autem temporibus praecipue in Germania a viro clarissimo *Heerenio* **) dictum est et defensum, Aristotelis libros iam diu ante Hispaniam a Mauris occupatam et ante commercium cum illis initum in terris Europae occidentalibus cognitos fuisse, quae sententia illam etiam vim, quam ad philosophiam medii aevi formandam et excolendam huc usque Arabicis philosophis adscripsimus, licet non prorsus tollat, maxime tamen deminuit. Accuratissimam et doctissimam disquisitionem de conversionibus Aristotelis, quibus medii aevi philosophi usi sint, edidit *Jourdainius*, summo ingenii acumine vir, cuius praematuram mortem omnes, qui literis favent, magnopere lugent ***). Cuius liber, quem imperfectum esse sane dolendum est, summa cum subtilitate et diligentia demonstrat, alios Aristotelicos libros Scholasticis innotuisse versionibus ex Graeca lingua confectis, alios vero ex Arabico translatos esse sermone. Sed utram in partem disputes, si vim, quam Aristotelica philosophia in Scholasticorum doctrinam exercuerit, spectas, nequaquam sufficit,

*) *Epist. lib. IV. p.* 362.

**) *Gesch. des Studiums der class. Literatur. I. pag.* 183, *seqq.*

***) *Recherches critiques sur l'age et l'origine des traductions latines d'Aristote etc. Parisiis* 1819. *Germanice vertit Dr.* Stahr. *Halae* 1831.

ut Aristotelem a Scholasticis revera e libris ex Arabica lingua conversis perceptum esse demonstres: Arabes enim, si nil amplius perfecissent, singularis, quae in scholastica philosophia exstitit, rationis non forent auctores; sed haec ipsa ratio ex propria medii aevi indole ultro esset orta. Id ergo praecipue videndum est, utrum medii aevi philosophi Aristotelem nullis commentariis adiuti ex illo ipso explicuerint, an in eo exponendo Arabicorum commentatorum auxilio usi sint: deinde etiam quaerendum erit, num illi viam, quae Arabibus philosophiam Aristotelicam colentibus propria erat, noverint et secuti sint, et quantum haec cognitio vel imitatio ad scholasticam doctrinam valuerit.

Hanc quaestionem omnibus numeris nondum posse absolvi, quilibet videt, qui exiguam, quam adhuc philosophiae Arabicae habemus notitiam, recte perpenderit. Praeterea accuratam et perfectam de hac materia disquisitionem instituere non huius est loci. Nos quaedam in universum dicta attulisse satis habemus, aliisque singula diligentius subtiliusque perscrutanda relinquimus.

Quantopere in rebus medicis, ut ab his, quae apud Arabes cum philosophia arcto coniunctae erant vinculo, exordiamur, maiores nostri Arabum vestigia presserint, inde clare patet, quod Avicennae canon, qui vocatur, per sex fere saecula in omnibus Europae occidentalis scholis medicis non solum legebatur, sed tantae etiam erat auctoritatis, ut eo potissimum duce ceterae disciplinae medicae docerentur *). Celeberrima deinde, quae Salerni fuit, medica schola nominis claritatem per *Constantinum* praecipue nacta est *Africanum*, qui ab Arabibus eruditus Graecos et Arabicos libros Latine convertit atque una cum iis philosophicam in tractandis rebus medicis rationem induxit **). Ac de medica disciplina haec hactenus.

Idem de philosophia dicendum. Nam tum ex historia huius disciplinae, tum ex Jourdainū libro manifestum est, omnes Scholasticos, qui aliquam gloriam et nominis famam adepti erant, non solum Arabicos in Aristotelem commentarios, sed etiam libros philosophicos ab ipsis Arabibus v. g. ab Avicenna, Algazalio, aliis compositos lectitasse. De qua consuetudine tum etiam nihil mu-

---

*) *Cf. Sprengelii Gesch. der Arzneikunde II. pag.* 418.

**) *Leo, Lehrbuch der Gesch, d. Mittelalt. pag.* 716.

tatum est, quum omnes Aristotelis libri et Graeci commentatores e Graecia transvecti et Latine conversi cunctorum manibus terebantur. Immo in Italia, ubi, ut viri docti contendunt, Aristotelis libri nunquam prorsus desiderati sunt et lingua Graeca primum renata est, philosophia ipsa non multum excolebatur, quippe quum omnes fere viri insignes *Danteus*, *Petrarcha*, *Boccacius*, *Villani*, *Arnoldus Brixianus*, ut in philosophiam incumberent, Parisios petierint, ubi doctores scholastici, nulla literarum Arabicarum eruditione imbuti, nunquam non fuisse videntur. Quot et quales scriptores Arabicos *Wilhelmus Arvernus*, *Albertus magnus*, *Rog. Baco*, alii viri illo tempore clarissimi legerint, apud Jourdainium videsis. At non solum legebant eos, suspiciebant etiam. Ita v. g. Baco, ut unum tantum afferam, Avicennae, quem *ducem et principem philosophiae post Aristotelem* saepius nominat, maximas tribuit laudes*). Idem ab aliis factum est. Immo Arabum philosophos perlegere ita in consuetudinem abiit, ut Graeci atque Arabici scriptores promiscue enumerarentur, quod ex notissimis *Dantei* versibus**) iam videre licet. Cuique discipulo Avicenna et Averroes non minus noti erant, quam Aristoteles et Boëthius. — *Ficinus* Averroem omni refellere studuit industria: qui, nisi in hoc refutando multorum virorum opiniones et totius temporis indolem impugnavisset, inutilem sane et fastidiosum laborem suscepisset. — Notissimum certamen inter illos, qui divum Thomam et illos, qui Averroem sequebantur, concilio demum Lateranensi componi potuit. — Omnibus denique veteribus, ut hoc etiam addam, Aristotelicorum operum editionibus, typis expressis, commentarii praecipuorum Arabicorum interpretum annexi sunt. Quae omnia quantulacunque summam ostendunt auctoritatem, qua Arabes apud Scholasticos fruebantur. Sed, si ipsam Arabicae philosophiae in doctrinam Scholasticorum vim spectamus, iam ex parva Alfarabii commentatione, quam nos proponimus, patet, praeter argumenta supra***) allata, alia plura a viris medio aevo doctrina eximiis adoptata esse. Alber-

---

*) *Cf. v. g. Iourdain. ed. Stahr. pag.* 344.
**) *Inferno IV.* 143.
***) *pag.* 3.

tus magnus cum Alfarabio et Avicenna*) *ens* non definiendum esse contendit. — Omnia deinde, quae Albertus, ab Aristotele dissidens, de facultatibus animae exposuit**) cum illis, quae Alfarabius hac de materia praecepit, satis accurate conveniunt. — Demonstratio dei, quam Albertus protulit, et quam ab ipso inventam huc usque statuunt, iam apud Alfarabium eodem prorsus modo composita legitur***) cet. — Ipsa vocabula: *abstractus*, *quiditas*, *in actu*, *in potentia* cet. a Scholasticis sexcenties usurpata ex libris Arabicis Latine ad verba conversis recepta esse videntur †).

Quodsi ex paucis in universum prolatis indiciis manifestum est, Arabes ad scholasticam doctrinam haud leviter valuisse, nihilo tamen minus hanc vim qualemcunque semper unius eiusdemque modi fuisse negare non possumus, quandoquidem Scholastici eos potissimum legebant philosophos Arabicos, qui Peripateticorum vestigia persequebantur. Illi, si nominibus in ipsorum libris laudatis fides habenda, multos et varios Arabes videntur legisse prioribus temporibus, sed hi, quum Graeci notiores fiebant, paullatim deserebantur, donec eo denique perventum est, ut opera non nisi Avicennae et Averroi navaretur, qui, in terris orientalibus nulla fere fama ornatus, immerito apud nostrates tantam nominis celebritatem consecutus est.

Quum, ut supra adnotavimus, Iourdainius plura Aristotelis scripta Scholasticis non nisi ex interpretationibus, ad Arabicos libros confectis, innotuisse demonstraverit, alia iam de virtute et indole versionum Arabicarum oritur quaestio.

Libri Aristotelici Arabice conversi usque ad hunc diem in bibliothecis latent, et nullus fere publici factus est iuris. Quidquid igitur de illorum indole statutum est, non ipsis fontibus nititur,

---

*) *Cf. not. nostr. ad font. qu. cap. 1.*

**) *Opp. tom. III. pag.* 115. *seqq. de anim.*

***) *Font. qu. cap.* 3. *et not. nostr.*

†) *Vide append.*

sed ad versiones solum Latinas pertinet. Quum vero alii, qui Latine editi sunt huius generis libri v. g. Averrois in Aristotelem commentarii et plura Arabicarum versionum documenta, quae apud Jourdainium in extremo libro, saepius laudato, leguntur, summa laborent obscuritate, innumeris mendis sint depravati et saepissime a verbis Graecis longe recedant, non mirandum est, si quis ex tali specimine omnes diiudicans versiones pronuntiaverit, Aristotelis scripta Arabice translata nullius esse pretii. Sed quam incerta et temeraria sit talis ex parte ad totum, ex conversione ad ipsa scriptorum verba conclusio, non opus est commemoretur: immo plane inepta haec videtur sententia, quandoquidem tum Arabum philosophos ipsos spectas, tum illos, qui eorum vestigia sequentes inter nostrates exstiterunt. Omnes enim prorsus deliravisse et res, sibi ipsis non perspicuas, amore amplexos esse, nemo sane putabit. Nihilo minus tamen nonnulli viri docti, *Vivesius* *), *Bruckerus* **), alii hanc opinionem secuti sunt, quippe quum, Arabicorum philosophorum libros prave conversos legentes, eorum scriptores ineptos fere et stupidos haberent. Eadem sententia a posterioribus recepta est et nostris adeo temporibus a tanta virorum doctorum multitudine sustentata, ut admodum paucos de hoc argumento melius iudicantes inveneris. Quum vero plurimi, qui Arabicos libros Latine verterunt, eadem hac interpretandi ratione satis ostendant, se neque Arabicae neque Latinae linguae peritia imbutos fuisse, quum etiam, ut viri docti demonstravere, omnes fere, qui adhuc circumferuntur, libri Arabicorum philosophorum Latine translati ex conversionibus demum Hebraicis confecti sint: obscuritas et mendorum copia potius his crimini dandae sunt, quam ipsis librorum scriptoribus. Quae quum ita sint, de versionum illarum indole certi quidquam affirmare nequimus, antequam ipsi fontes investigati sint et patefacti. Unum audiamus Casirium ***), cui summa Latinas conversiones cum Arabicis exemplis conferendi fuit copia. Hic, licet interdum nimio literarum Arabicarum amore praeoccupatus, ita loquitur: „Ceterum Latinae, quae vul-

*) *De causis corruptarum artium.*

**) *Hist. crit. philos. Tom. III.*

***) *I. pag.* 266.

go circumferuntur, Rasis operum interpretationes, adeo barbarae atque insulsae sunt, ut nec Rasis dictionem, nec stylum sapiant, nec sententiam quidem exprimere aliquando videantur. Illas enim ego, quoties cum Arabicis archetypis conferre libuit, non ex Rasi, sed ex alio prorsus auctore factas omnino censui. Idem de antiquis Latinis translationibus ex Arabum philosophorum ac medicorum scriptis confectis eodem iure pronunciandum: quas *perversiones* potius, quam *versiones* merito dixeris. Atque hoc loco temperare mihi non possum, quin acerbius invehar in illos, qui ex huiusmodi versionum colluvie non aditis Arabum fontibus, de ipsorum auctorum pretio ferre sententiam audent. Sed qui nec suo, nec alieno iecore sapiunt, eos despici, quam refutari satius; quippe qui de re sibi minime perspecta et temere sentiant, et inepte scriptitent." — Nobis, si de interna Arabicarum conversionum virtute sine ira et studio disputare volumus, unum hoc restat, ut, quibus rationibus et conditionibus, num e Graecis, ut alii dicunt, an ex Syriacis libris Arabes Aristotelem noverint, investigemus. Quantum haec quaestio, sive Arabes sive Scholasticos spectas, habeat gravitatis, nemo, qui in causas et initia diversae apud utrosque philosophiae inquisiverit, non intelliget. Inde etiam factum est, ut viri docti de hoc argumento saepius iam disputaverint, atque alii aliam opinionem affirmare conati sint. *Renaudotius* *) et *Sprengelius* **), licet a partium studio non plane alieni, multos ad confirmandam suam sententiam ex variis scriptoribus collegere locos. Nihilo tamen minus ex Jourdainii ***) sententia haec quaestio utramque in partem nec satis accurate examinata, neque ad liquidum perducta est. Nos igitur, ut in universum hac de materia disseramus, in praecipuis et Arabum et Syrorum testimoniis rursus afferendis acquiescemus.

Graecae literae inde ab Alexandri magni aetate in orientalibus terris, praecipue in Syria nunquam prorsus obsolevisse et exstinctae esse videntur. *Cosru Parviz*, Persarum rex e Sas-

---

*) *De barbaris Aristotelis librorum versionibus. In Fabr. bibl. Gr. III. Pag.* 294.

**) *Hist. medic. II. pag.* 340 *sqq.*

***) *Pag.* 90.

sanidarum stirpe oriundus, sacerdotum contra se odium excitavit, quia Graecam philosophiam et in universum Graecas literas adiuvare et propagare studuit. Ipso Mohammede vivo in Arabia medici erant, a Graecis praeceptoribus, qui in Persia docebant, eruditi *). Quamcunque autem literarum Graecarum notitiam Arabes usque ad Abbasidarum tempora possiderunt, ea ex Syriacis libris hausta erat. In Syria enim, ubi ipse propheta necessariam ad Alcoranum componendum Christianae religionis cognitionem sibi paravisse fertur, Graecae literae magno semper cum amore colebantur. At aetas plane nova orta est ab *Abu Jafar Almansur*, secundo ex Abbasidarum stirpe oriundo Chalifa, qui Abulfaragio teste **), ipse »praeterquam quod legis peritia excelluit, in philosophiae etiam studium incubuit « Hic urbem Bagdad condidit, atque literis mire favens omnes ad sublevandam Graecam eruditionem et doctrinam impendit sumptus. Inter eius successores *Harun Alraschid*, cuius fama per totum terrarum orbem celebrata est, quum omnia, quae regnum suum ornarent et magis augustum redderent, auxit et promovit, tum literas quoque Graecas adiuvit, Syros Christianos in splendidam aulam recepit, atque ab iis Arabes doceri iussit. Idem, teste Abulfaragio ***), *Joanni filio Masavaihi* (*Mesue*), qui ipso et Almamune regnantibus summa auctoritate floruit, „libros medicos antiquos commisit interpretandos.“ Omnium vero Abbasidarum nemo liberalium artium et Graecarum literarum maiori flagrabat amore quam *Almamun*, quem omnes scriptores munificentissimum studiorum humanitatis patronum laudibus efferunt. Abulfaragius †) »Perfecit ille,“ inquit, „quod orsus fuit avus ipsius Almansur, et scientiam locis suis quaerere aggressus cum Graecorum regibus intercedens petiit ab illis, ut, qui apud ipsos essent, libros philosophicos ad ipsum mitterent; qui cum ad ipsum, quos haberent, misissent, conquisitis ille interpretibus peritis eos ipsis accurate vertendos imposuit, cumque, qua fieri potuit, diligentia versi essent, homines ad eos legendos incitavit, eorumque per-

*) *Abulfaragius hist. dyn. pag.* 158.
**) *Hist. dyn.* 246.
***) *Ibid. pag.* 236.
†) *Ibid. pag.* 246.

discendorum desiderium ingessit, ipseque doctis vacare et eorum disputationibus interesse (solitus), et eorum dissertationibus delectari: cet." — Iisdem laudibus ornatur Almamum apud *Pocockium**). Illo imperante vixit *Joannes Ebn Batrik*, „interpres, Almamunis libertus, qui fidus fuit in libris medicis vertendis, felix in sensu reddendo at Arabice *minus eleganter loquens*; philosophiae quam medicinae maior ipsi peritia **)." Alium, qui ad nostrum argumentum plurimum facit, locum praebet *Leo Africanus****), qui cap. I. „Tunc," inquit, „Manun desiderio immortali desiderabat intelligere antiquorum scientias, quoniam tunc nulla erat scientia Arabice descripta; adeoque dictus Mamun congregavit ingentem numerum doctorum diversarum linguarum, et interrogavit auctorum nomina, atque librorum, quae scripta fuerunt in artibus lingua Graeca, Persica, Chaldaea atque Aegyptia, adeoque multa eorum nominata sunt volumina. Misit tunc multos ex familiaribus suis in Syriam, Armeniam atque Aegyptum, ut illos emerent libros, de quibus sarcinas infinitas et tulerunt et conduxerunt. Tunc segregati sunt boni et utiles, sicut in medicina, in physica, in astronomia, in musica, in cosmographia et chronica descripti, et posuit supra traductionem linguae Graecae Ioannem, filium Mesuah praedictum, quoniam in illo tempore Christicolae Graecis studebant literis. Posuit etiam supra traductionem Graecam alios quam plures sub eodem Ioanne, et supra linguam Persicam Mabam, dictumque Mesuah; qui traduxerunt librum Galeni in medicina; post quae omnia opera Aristotelis Arabice traduxerunt, multis etiam aliis magistris auxiliantibus." Praeter ambos hos Graecorum librorum interpretes multi etiam alii commemorantur, quorum clarissimi et maxime eximii sunt *Honainus Ebn Isaac* eiusque filius *Isaac*. De Honaino audiamus bibliothecae Arabicae scriptorem †): „Honainus Isaaci filius, medicus genere Christianus, Abuzaid Obadita nuncupatus, Ioannis Ben Mesue au-

*) *Spec. hist. Arab. ed. White pag.* 171.

**) *Hist. dyn. pag.* 250.

***) *De viris quibusdam illustribus apud Arabes. Fabr. bibl. Gr. III. pag.* 261.

†) *Apud Casirium I. pag.* 286.

ditor fuit: medicae facultatis scriptor, idemque professor peritus, nec non in collyriis componendis apprime versatus. Interpretum praecipuus, Graecorum libros in Syriacam et Arabicam linguam convertit: rhetor ac poeta, tum Graece tum Arabice dissertissimus .... Ad interpretandum electus ab imperatore Almotawakelo Alala, cuius et medicus fuit primarius, viris ad hocce munus obeundum destinatis, peritiae ac doctrinae laude claris, praefuit; eorumque interpretationes ut censor castigabat. ... Graeci sermonis institutiones tradidit. In Graecis libris Arabice convertendis praestantissimus exstitit. Honainus studiorum causa Graeciam petiit, ubi ad Graecam linguam probe addiscendam, philosophicasque disciplinas comparandas quam acerrime incubuit. Hinc libris e Graeco in Arabicum sermonem convertendis totum se tradidit: quo scriptionis genere maximum apud aequales nomen adeptus est." Idem de Honaino testatur Abulfaragius *), qui etiam adiicit, illum duos in Graecia commoratum esse annos, donec linguam Graecam perfecte sciverit, cumque libris philosophicis ibi conquirendis omnem diligentiam impendisse. Quibus addas, quae *de Rossius* **) habet: „La stima universale che ebbero le sue versioni arabe di quegli autori classici, ed alcune delle sue opere mediche, fece si che fossero anche dagli Ebrei transportate in ebraico, e molte di queste tali traduzioni ebraiche vedonsi mss. in quelle stesse biblioteche, cet." — Isaac, Honaini filius, teste Abulfaragio***) „interpretationi inserviit, eique operam navans solide optimeque praestitit: fuit animo in philosophiam propensiore." Idem Abulfaragius †) „Isaac", inquit „interpretatus est multos libros." Quantopere vero Honainus in omnibus libris vel Arabice vel Syriace convertendis arte usus sit critica, videmus ex iis, quae in extremis commentariis Galeni, ab ipso conversis, adnotata sunt ††), quae, quum eius in convertendo rationem nos edoceant integra hic repetam: „Galenus ergo tres edidit commentarios in primum Epi-

*) *Chron. pag.* 170. *hist. dyn. pag.* 263.

**) *Dizionario storico degli autori Arabi, s. v.*

***) *Hist. dyn. pag.* 266.

†) *Chron. pag.* 170.

††) *Casiri I.* 251.

demiorum librum, quos Syriace Iob, Arabice Abu Jafar Mohammed Ben Musa transtulit; sex vero illius commentarios in secundum Epidemiorum librum, quorum Graecum exemplar penes me fuit, valde tamen mendosum, interpolatum et confusum ad examen revocatos, Graece primum exscripsi, deinde Syriace verti: quos et Arabice postea Abu Jafar Mohammed Ben Musa convertit. Praeterea in eo exemplari ex Galeni commentariis unus... omnino desiderabatur.... Iam vero Galenus praeter quatuor hosce libros non alios exposuit, relictis ceteris, videlicet lib. IV. lib. V. et lib. VII, quos nunquam commentatus est, et tanquam spurios, ac ficto Hippocratis nomine editos habuit cet." — Præterea etiam *Hobaischus*, Honaini cognatus, „interpres fuit admirabilis scriptorum medicorum *)", cuius tamen plurimae interpretationes ab Honaino castigabantur et emendabantur. Ab omnibus his viris praecipue ab Honaino plurimos Aristotelis libros Arabice conversos esse tum ex locis supra laudatis, tum ex Casirio I. pag. 304. manifestum est.

Haec omnia, quae innumeris aliis testimoniis augere et confirmare possemus, in universum probant, Graecos libros Arabibus partim ex interpretationibus Syriace confectis innotuisse, partim ab ipsis ex Graeco sermone esse translatos. Quomodocunque autem haec quaestio, subtilius ad regulas artis criticae perpensa, solvetur, hoc tamen certum est, Almamune regnante mirum quoddam Graecos libros interpretandi exortum esse studium. Ea deinde, quae de Honaino memoravimus, nobis ostendunt, Arabes non solum, ut Graecos libros verterent, sed etiam, ut eos recte et accurate interpretarentur, summam adhibuisse curam. Id igitur, cuius gratia quaestio proprie proponitur, maxime probabile saltem est, Aristotelem aliosque scriptores apud Arabes exstitisse diligenter et subtiliter translatos, quae conversiones, si non recta ratione ex Graeco sermone confectae essent, sedulo emendarentur et conferrentur. Quae quum ita se habeant, tantum mea quidem sententia abest, ut quis recte putet, viros, quales sunt Alfarabius, Avicenna, alii, pravis et corruptis libris usos esse, nullis aliis consultis: ut eos, quum in Aristotele recte

*) *Hist. dyn. pag.* 170.

intelligendo et explicando omnem ponerent gloriam, nulli labori pepercisse, iure quodam statui posse credam.

Praeterea *Alkendio*, qui primus aliqua auctoritate habetur philosophus, quum Honaini, egregii interpretis, aequalis esset, libros optimae notae acquirendi maxima fuit copia. Idem Alkendius Graecos libros interpretatus est et nominatim *Ptolemaei* geographiam *accurate* in Arabicam linguam convertisse dicitur*). Alfarabium, qui Alkendium maxime venerabatur, septuaginta linguas calluisse fama accepimus, quae, licet fidem excedat, tamen demonstrat, Alfarabium plures scivisse linguas, quarum ex mea quidem sententia eam, qua scriptores, ipsi prae ceteris grati, usi sunt, non postremam didicerit. Praeterea idem philosophus Aristotelis Analytica Arabice transtulisse traditur**). Avicennam Syriace saltem scivisse constat, quum Aristotelis historiam animalium ex interpretatione Syriaca Arabice converterit, quam versionem saeculo decimo tertio iterum a Michaele Scoto Latine translatam esse refert *Schneiderus* ***).

Utriusque philosophi, cuius doctrinae documenta proponimus, vita tam saepe descripta est et in tam multis libris typis expressa, ut res primarias in memoriam revocantes singulis exponendis commode supersedeamus.

Mohammed Ebn Mohammed Ebn Tarchan Abu Nasr Alfarabius natus est in urbe Turcarum Farab, postea Otrar dicta. Adolescens Iracam se contulit, ubi sedem figens philosophiae apud Joannem Ben Geblad operam dedit. Deinde Bagdadi multos insignes auditores philosophiam docuit. Sufiorum sectae addictus inde Aleppum est profectus, cuius rex Seif Eddaulah summis eum affecit honoribus. Hunc Damascum comitatus diem obiit supremum anno Hegirae 339 (i. e. post Chr. n. 950†). Annum mortis alii scriptores tradunt 343†), Leo Africanus adeo 388, sed huic omnium minime fides habenda, imprimis quum plerique annum 339 afferant.

---

*) *Casiri I.* 349 *et Jourdain pag.* 90.

**) *Herbelot bibl. or. pag.* 337.

***) *Hist. lit. prisc. pag.* 231.

†) *Cf. Casiri I. pag.* 190. *Abulfarag. hist. dyn. pag.* 315 *cet.*

Copiosus apud Casirium exstat index librorum, quos Alfarabius conscripsit. Eorum praestantissimus habetur ille, cui titulus: *doctrinarum expositio* (احصاء العلوم), quem vulgo ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Qui liber apud Scholasticos summa fruebatur auctoritate atque imprimis a Vincentio Bellovacensi (spec. doctrin.) saepissime commemoratur. — Prior nostra commentatio „de rebus ante Aristotelicae doctrinae studium necessariis" a Casirio inter Alfarabii opera relata est; altera autem, „fontes quaestionum" inscripta, non memoratur. Librorum tamen Arabicorum inscriptiones ita variant, ut eandem dissertationem alio titulo allatam esse iure quodam statuere possimus.

Abu Ali Alhosain Ebn Abdallah Ebn Sina natus est in pago Afsenna prope Bocharam anno 370 (p. Chr. n. 980). Se nondum decenni maiorem quidquid doctrinae ad Alcoranum intelligendum pertineat et humanitatis literas optime iam percepisse ipse gloriatur. Deinde Abu Abdallah Nabelense duce ad philosophiam addiscendam se accinxit, in qua tantos fecit progressus, ut librum „ἐγκυκλοπαιδεία" inscriptum, viginti volumina complectentem, unum et viginti annos natus iam componeret. Inter omnes philosophos solum Alfarabium ducem agnoscebat et praeceptorem, eiusque vestigia persequi semper studebat. — Medicinae etiam et theologiae eodem tempore summa cum assiduitate operam navaverat. Postquam multa per varias regiones itinera fecit, in urbe Ispahan sedem collocavit et librum *de arte medendi* edidit, aliosque multos philosophici argumenti composuit. Licet a multis principibus dignitatibus et honoribus ornatus, iucundam tamen et beatam non degit vitam, quum, quam docuit, philosophia a moribus suis et vivendi ratione prorsus abhorreret. Annos quinquaginta octo natus Hamadani vita decessit 428 (p. Chr. n. 1036*).

Inter eius opera, apud Casirium prolixe enumerata, poematis quoque nostri praeceptivi diserte fit mentio, idemque ibi inscriptum est: المنطق بالشعر —

*) *Herbelotius.*

**) *Casiri I.*, 268. *Abulfar. hist. dyn.* 349 *cet.*

Abu Nasr Alfarabii

de

rebus studio Aristotelicae philosophiae praemittendis commentatio.

Abu Nasr loquitur. Res, quae prius addiscantur et cognoscantur oportet, quam philosophiae, ab Aristotele traditae, operam navemus, hae sunt novem;

1. Sectarum, quae in philosophia exstiterint, nomina.
2. Consilium, quod Aristoteles in componendo unoquoque libro ceperit.
3. Doctrina, a qua studium philosophiae incipiatur oporteat.
4. Finis, ad quem philosophiae studium tendat.
5. Via, quam philosophiae studiosus ingrediatur.
6. Qua ratione varium Aristotelis loquendi genus in unoquoque libro sit adhibitum.
7. Causae, quae Aristotelem permoverint, ut in libris suis intellectu difficilia usurpaverit.
8. In qua conditione homo, doctrinae philosophicae compotem se redditurus, versetur oporteat.
9. Res Aristotelicorum librorum studioso necessariae.

I.

Sectarum, quae in philosophia exstitere, nomina a septem rebus derivantur, quarum prima est: nomen praeceptorum philosophiae. Secunda: nomen civitatis in qua sectae cuiusdam doctrina est exorta. Tertia nomen loci, in quo praecipiebatur. Quarta: vitae ratio, quae instituebatur. Quinta: opiniones, quas praeceptores de doctrina philosophiae tenebant. Sexta opiniones, in quas philosophiae cultores de studii philosophici fine discedebant. Septima: actiones, quae in tradenda philosophia ab ipso (auctore) susceptae conspiciebantur.

A nomine auctoris sectae philosophicae cognomen accepit secta Pythagoreorum. A nomine civitatis, quae philosophi patria fuit, cognominati sunt, qui Aristippum Cyrenis oriundum, sequebantur. Cognomen a loci, quo philosophia praecipiebatur, nomine derivatum, Chrysippi tributum est sectatoribus, qui, quum in porticu Athenarum quodam aedificio, docerent, *porticus domini* vocabantur. Cognomen, a vitae ratione et indole philosophorum desumptum, impositum est Diogenis sectatoribus, qui *canes* nominabantur, quoniam leges hominibus in civitatibus impositas repudiabant, atque proximos et fratres amantes, ceteros homines odio habebant, quae indoles in solis canibus invenitur. Ab opinionibus, quas praeceptores de philosophia tenebant cognomen inditum est Pyrrhonis sectatoribus, qui *denegantes* vocabantur, quia hominibus scientiam denegatam esse statuebant. Ab opinionibus, quas philosophiae cultores de fine, quo philosophiae studium tendat, promulgabant, cognominati sunt Epicurus et sectatores eius, qui quum philosophiae finem voluptatem, illius cognitioni adiunctam, statuerent, a voluptate no-

men duxerunt. A factis, quae philosophi persequebantur, cognomen *obambulantium* exortum est: hi nimirum viri sunt Aristoteles et Plato, quandoquidem uterque inter obambulandum docebat homines eo consilio, ut simul cum animo excolendo corpus exerceretur.

II.

Librorum Aristotelicorum alii sunt particulares, in quibus unum tantum exponitur argumentum, alii universales, alii medii inter particulares et universales. Libri particulares sunt eius epistolae. Librorum universalium alii sunt commentarii, quibus legendis partes huius doctrinae iam notae in memoriam revocantur: ex aliis philosophia ipsa addiscitur, quorum alii iterum sunt peculiares, alii generales. Librorum peculiarium alii exponunt theoreticam philosophiam, alii philosophiam practicam, aliis res theologicas, alii physicen, alii mathematicen. Libri, in quo de physicis disseritur rebus, altera pars docet res omnibus naturis communes, altera unicuique naturae peculiares. Libro, in quo res omnibus communes exponuntur, nomen est: *physica auscultatio*. In hoc omnium rerum principia, deinde res, quae principiorum sunt loco, tum cum illis cohaerentes, postremo cohaerentium vice fungentes res docentur. Principia autem sunt elementa et formae atque illud, quod, licet non revera principium sit, tamen ad similitudinem eius accedit. Cum principiis tempus et spatium cohaerent. Cohaerentibus simile est vacuum et quidquid termino caret. Librorum, in quibus res unicuique naturae peculiares exponuntur, alii rerum non existentium, alii rerum existentium notitiam parant. Doctrinae de rebus non existentibus altera pars omni-

bus est communis, altera omnibus peculiaris. Omnibus communium rerum existentium doctrina circa mutationem versatur et motum. Doctrina de mutatione praecipitur in eius libro *de generatiône et corruptione,* doctrina de motu in duabus ultimis enarratur capitibus eius libri *de coelo.* — Rerum omnibus peculiarium aliae simplicibus, aliae compositis corporibus sunt peculiares. Simplicibus corporibus peculiares res in eius *de meteoris* libro praecipiuntur: corporibus compositis peculiarium rerum aliae sunt universales, aliae particulares, quarum particulares in eius libro *de animalibus* atque in libro *de plantis,* universales in eius *de anima* libro atque in libro *de sensu et sensibili* exponuntur. Scripta, in quibus disciplinae mathematicae docentur, sunt eius liber *de speculis,* eius liber *de lineis* atque liber *de mechanica.* — Librorum, qui practicam philosophiae doctrinam exponunt, alii de indole bene moderanda, alii de gubernanda re publica, alii de administrandis rebus domesticis praecipiunt. — Librorum, qui demonstrationes in philosophia obvias docent, alii antecedunt demonstrationum doctrinam, alii demonstrationem ipsam explicant, alii post demonstrationum doctrinam legantur oportet. Librorum, in quos ante demonstrationis doctrinam incumbendum est, alii conclusionis partes, demonstrationem perfectam efficientes, exponunt: in aliis praemissarum, in demonstrationibus adhibitarum, docentur partes. Liber partes conclusionis, ad demonstrationem perfectam reddendam necessarias, exhibens inscribitur: περὶ ἑρμηνείας. Eas, in quibus partes praemissarum, in demonstratione obviarum, exponuntur commentationes continet ipsius liber de terminis, cui titulus: κατηγορίαι. De demonstratione ipsa disseritur in eius libris *de demonstratione,* eorum-

que alii figuram demonstrationis docent, alii elementa, ex quibus demonstratio constat. De figura demonstrationis dispntatur in ipsius libro *de ratiocinatione*, qui ἀναλυτικῶν inscribitur, de elementis in eo libro de demonstratione, cui titulus ἀποδεικτικῶν. Quae post doctrinam de demonstratione legenda sunt, continent libri, qui differentiam inter veram et fallacem demonstrationem exponunt. Demonstrationum fallacium altera est omnino fallax, altera mixta. De demonstratione omnino fallace disseritur in ipsius libro *de arte poetica*. In quibusdam demonstrationibus fallacibus mixtis veritas est fallaciam aequans, in aliis veritas minor fallacia, in aliis veritas fallacia maior. De demonstratione, cuius fallacia veritatem aequat, disputatur in ipsius libro *de arte rhetorica*: cuius fallacia veritate minor est in ipsius libro *de obiectis disputationis* (Topicis): cuius fallacia veritate maior, in libro *de arte sophistarum*.

III.

Doctrinam, quam philosophiae studium praecedere oporteat, Platonici mathematicen statuebant, ipsum Platonem huius rei testem facientes. Hic enim portam aedium suarum inscripserat: „Nequis, nisi mathematicus, ad nos accedat!" Quod institutum est propter demonstrationes in mathematica adhibendas, omnium demonstrationum perfectissimas. Qui Theophrastum sequebantur ab ethica doctrina incipiendum esse censebant, quippe quum dubitari liceat, an homo integram doctrinam percepturus sit, quin suam ipsius indolem probam reddiderit. Cuius rei Plato testis est dicens: „Nequis appropinquet integro et probo, nisi ipse est integer ac probus!" et Hippocrates „quo magis, inquit, corpora impura alis, eo magis eorum malum auges."

Boëthum Sidonium a physica, utpote a disciplina illi notiore, propinquiore et propiore initium fecisse manifestum est. Non minus constat, illius discipulum Andronicum a logica, utpote instrumento, quo in omnibus rebus verum a falso secernatur, exorsum fuisse. Quarum opinionum non decet ullam reprobare. Priusquam enim aliquis ad studium philosophiae se accingit, appetentis animae indoles tam proba reddita sit oportet, ut mens earum tantum rerum cupida sit, quae revera sunt praestantes, neque earum, quae, ut voluptas et victoriae studium, praestantes habentur. Hoc autem indole bene moderanda, non meris verbis, sed actionibus quoque perficitur. Deinde etiam rationem probe dirigat, ut viam cognoscat veritatis, qua instructus ab hallucinando atque in errores labendo liber erit. Hoc autem addiscenda demonstrationis doctrina efficitur. Demonstratio est duplex: altera mathematica, altera logica. Quam ob causam ille primum mathematica doctrina ita imbutus sit, ut mathematicas intelligere possit demonstrationes: tum logices quoque doctrinam percipiet.

IV.

Finis, ad quem philosophiae studium tendit, in eo versatur, ut cognoscamus creatorem summum, eumque intelligamus unum, motus expertem, omnium rerum causam efficientem, clementia, sapientia, iustitia sua hunc mundum moderantem. Opera, quae philosophus praecipue perficere debet, in eo versantur, ut pro facultate humana dei similem se reddat.

V.

Via vero, quam tenere philosophiae studiosum decet, partim versatur in operum perficiendorum studio, partim in

assequendo fine. Ad opera adfectanda permovemur doctrina, quandoquidem perfectio doctrinae est actio. In discendo autem ad finem non pervenimus nisi rerum physicarum cognitione, quippe quae a nobis facilius possint intelligi: his autem perceptis in res mathematicas incumbendum est. In agendo finem assequimur, quum primum nosmet ipsos, deinde alios eiusdem domus vel eiusdem civitatis incolas bene regamus.

VI.

Loquendi generis, quo Aristoteles in libris suis usus est, tres sunt species. Etenim in libris particularibus sermonem maxime restrictum atque a distinctionibus alienissimum adhibuit. In commentariis suis usus est dictione intellectu difficillima et obscurissima. In epistolis vulgarem usurpavit orationem, quae igitur facillima est perspectu in sermone compendioso.

VII.

Tres sunt causae, quae, ut intellectu difficillima adhiberet, Aristotelem permovere. Quarum prima orta est ex eius consilio ingenia discipulorum perspiciendi, utrum doctrinae capacia sint, an secus. Secunda causa est: ut philosophia non omnibus hominibus, sed dignis tantum tribuatur. Tertia, ut disquisitionis labore ingenia exerceantur.

VIII.

Conditionem quod attinet, in qua virum Aristotelicae doctrinae studiosum, versari decet; invictus sit animo, appetentis animae naturam coercens et ita moderans, ut non voluptatem, sed solam veritatem adfectet: praeterea animae ratione praeditae vires eum in

modum excolat, ut proba sit voluntas. In ratiocinationibus Aristotelis ita versetur, ut neque amore commotus Aristotelem veritati anteponat, neque odio quodam impulsus illum mendacii crimine compellet. Praeceptoris ratiocinationes ita constitutae sint, ut neque nimia dominatio, neque modum excedens humilitas manifestetur: nimia enim dominatio discipulum et in praeceptoris et in eius doctrinae odium vocat. Humilitate contra immodica praeceptor se ipsum despectum reddit, atque discipulum a se suaque doctrina removet. De necessaria studii constantia et perseverantia iam proverbio dictum est: „Aquae gutta assiduitate cavat lapidem." Aliis disciplinis raro tantum occupatus sit philosophus oportet, quippe quum ab homine, variis rebus frequenter distracto, nec recta vivendi ratio, nec ordo possit observari. Vitam philosophia efficit diuturnam; corporum enim si medicina, quemadmodum Hippocrates ait, vitae diuturnitatem auget, quanto magis animi medicina?

IX.

Rerum necessariarum prima est: finis libri, in quo res logicae exponuntur; secunda: Aristotelicae doctrinae utilitas; tertia: causa inscriptionum, quibus libri notantur; quarta: eorum integritas; quinta: ordo, quo libri se invicem excipiunt; sexta: dictionis, qua auctor in libris suis usus est, notitia; septima: partes, in quas unusquisque liber divisus est.

Ratiocinatio ex duabus rebus constat, quarum altera est de praemissis, quibus ratiocinatio efficitur, altera vero de figura, ad quam ratiocinatio componitur. Harum rerum doctrinam praecipit liber ἀναλυτικῶν. Praemissae constant ex terminis et figuris, quae ultimae

sunt orationis partes. Rerum, quas oratio exponit, simplicium decem sunt genera: unaquaeque earum unicuique horum respondet generum, quae ex Aristotelis libro *de praedicamentis* petenda sunt. Praemissarum figurae exponuntur in libro περὶ ἑρμηνείας; praemissae ratiocinationis discendae sunt ex eius libro *de demonstratione.* Hi libri, priusquam logicae opera navatur, legantur oportet, avidos nimirum nos reddunt inscriptionis, qua quisque liber est insignitus, causam perspiciendi. Quae superest notitia partium, in quas quisque Arist. librorum distribuitur, comparata sit oportet, quando libri singuli ipsi leguntur.

Abu Ali,

viri docti, de logica poema.

Laus sit deo, quo praedicando non ipse (deus) ornatur, sed qui laudat servus. Talis deo fiat laus, quali augusta eius maiestas, a nemine superanda, digna est. Laus illi, qui eo demonstratur, quod nihil exstat, in quo ipse desideretur. Laus sit deo pro divina potestate, non pro facultate servi, morti obnoxii. Laus deo, quem qui negat, conditorem suum negat. — Pro Mohammede deinde propheta nostro, fido, optimae legis et religionis statore, eorum, qui resurrectionis die resuscitabuntur, praestantissimo, sacrorum antistite celsissimo et pro familia eius illustri, generosa, splendida dominus mundi ipse vota suscipiat. Laus deo, domino intellectus, a quo anima ad agendum apta est reddita. Hic enim (intellectus) unamquamque rem cognoscit, concipit, diiudicat. Idem totius, quem sensibus percipimus, mundi nobilissimus est incola, neque ex luto creatus, neque ex vermibus. In illo deprehenditur perfectio, immo ipse perfectio est, eiusque substantiam splendor conficit ac pulcritudo. Universi mundi essentia et, quae iustitiam largitur, dei cognitio illi sunt im-

pertitae. Omnium, quae percipis et cognoscis, intellectus praestantissimus est habendus. Vile et ignobile, terrestrium scilicet rerum natura ad ipsum non pertinet. Talis est, quando divina adiuvatur clementia, neque, quam ingreditur, via viam sequendam impugnat; sed ad veritatem percipiendam annititur, bonumque perficiendum exoptat. Si vero insolentem se praebet et domini immemor est, ipse eum poena afficit, eumque sui ipsius oblivisci iubet. Humana autem natura, ut veritatis tanquam rei vulgaris et palam factae particeps fiat, impar est, nisi instrumento, mentem ab erroribus defendente, adiuvatur. (Hoc instrumentum ita constitutum esse oportet), ut exponat, quomodo — quod in unaquaque re difficile est — veritas quaerenda sit, quid hominem, veritatem et perspicuitatem quaerentem, in errorem coniiciat, quot modi existant rectum assequendi, quot distribuendi argumenta cuique insint quaestioni, quid demonstrando intelligatur et probationem certam reddat, quid fallacem ambiguamque sententiam efficiat rectam, quid, dum animus cogitat „hoc fortasse falsum est", affirmationem necessariam reddat, quid imaginationem falsam, et argumentis et probatione destitutam, illis, quae proferuntur, anteponi iubeat, qua ratione omnis res definienda definiatur, quid definitioni sit annumerandum. Tale instrumentum est logica doctrina, cuius ope ad ceterarum doctrinarum summam pervenitur. Hanc quasi ex haereditate relictam accepimus ab Alexandro magno, qui, ut cuicunque quaestiones instituturo trutinam, qua ab hallucinando tutus sit, conficeret, ex veziro suo docto petierat. Vir doctus mandatum exsecutus est; attamen nonnullis principiis non praemissis, quae ille exposuit distinxitque manifesta fieri nequeunt. Sahl, doctorum princeps, cui est summa

praestantia, cuius sunt tanta in me beneficia, ut omnei definitionem excedant, logicen, ut firme memoria tenea tur, poemate a me exponi iussit: praecipue quum pa tre decedente frater in gremio meo relictus fuerit, i quem ut suum officium explerem, et cui veritatis viai monstrarem, ipse mihi testamento mandavit. — Hoc ig tur poema, mi Ali, ediscas quaeso, donec, quum a intellectus aetatem pervenisti, quae memoriae mand veris, perfecte intellexeris, atque summo bono dign evaseris. Summum autem bonum est sapientia, cui commoda omnium commodorum praestantissima haben sunt. Licet mors praedestinata fratrem tuum, qui intelligentia excelleret, oppresserit, atque animus eiu dum corpus sepulcro conditum est, in vita altera ve setur: in medio tamen inter mortem et resurrectione statu ille videbit, quae postea mansio sit sua. Pi igitur votis deum pro illo advoca, et fratres, ut al quando illius recordentur in precibus, rogare velis.

Logices Exordium.

De vocibus simplicibus.

Vox, si compositionem spectamus, aut simplex est talis nimirum, cuius nulla pars exprimit partem sen sus. Hoc modo comparatum est quidquid copula ca ret; prout dicimus: *Zeidus*, vel *ingeniosus*. Aut, — quod *enunciatum* vocatur, — una pars ad partem spe ctat totius sensus, quale est quidquid copula praeditun quemadmodum dicimus: *Zeidus est ingeniosus*. On nis vocis simplicis notio aut multis est communis, qu modo dicimus: *corpus*, — corporis enim notio ma gnam complectitur multitudinem — hoc nominati *universale*; aut nuncupatur *particulare*, illud scilice quod una notione rem numero unam solam designa

quemadmodum dicimus: *Mohammedes*, vel *Hafsus*; hoc vocatur *singulare*. Omne universale aut eiusmodi est, ut, eo remoto, rei quoque, de qua praedicatur, existentia tollatur; prout *corpus* in hominibus et plantis — hoc appellatur *essentiale*; — aut ita constitutum est, ut, etiamsi in re quadam non cognitum esset, eam tamen existentia non privaret, sicuti *risus* et *albedo* in homine: hoc nominatur *accidens*. Sed harum rerum distributio non exponitur, priusquam quinque voces plane absolutae sint.

De quinque vocibus.

Vera notionis *essentialis* significatio comparatur respondendo ad quaestionem: Quid est? i. e. quid est illud, quo obiectum ita redditur integrum, ut res quaedam illius causa res fiat. Quod huc pertinet aut commune est, quemadmodum dicitur: *substantia*, vel *corpus*, quod nimirum animatis est commune: hoc apellatur *genus*; aut quod, licet non genus sit, tamen multitudini convenit: hoc nominatur *species*, v. g. *corpus animatum*, hoc enim non commune est, nisi quibus corpus est commune. Species ex natura sua est species generis sui, iterumque genus est genus speciei. Essentiale porro definitur, quum ad quaestionem: „*Quale*?" respondetur: prout dicimus: *Quale animal est homo*? Hoc appellatur *differentia*, quemadmodum respondemus: *animal rationale* si nostram, *animal rudens* si asini speciem in quaestionem vocamus. *Accidens* in duas partes dividitur, prout risus et albedo hominis accidentia sunt: risus enim praeter hominem nemini proprius est; hoc nominatur *proprietas*; albedo autem aliis aequaliter accidit, nix enim et cycnus albi sunt. Omne huic simile vocatur *accidens commune*

et revera est commune. Quaeque igitur vox simplex multitudinem indicans, designat aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut genus, aut speciem, quae quinque illas voces constituunt.

De decem praedicamentis.

75 Omne praedicamentum aut est *substantia*, cuius
consistentia per se ipsam immanet, nec obiecto cuidam
adhaeret veluti *color* et *figura quadrata*, sed veluti
homo et *arbor* (obiectum ipsum constituit): aut (praedica-
mentum) est *quantitas*, quomodo dico: *decem*, vel quo-
modo dico: *longitudo*. Haec igitur (quantitas) in ae-
quando differentiam et aequalitatem complectitur. Hoc
(praedicamentum) sequitur *qualitas*, quomodo dico:
80 *liber*, vel *albus*, vel *foetidus*, vel *amarus*. Quidquid
huic assimilatur, vel simile est, vocant homines quali-
tatem. Tum sequitur *relatio*, quae rebus similibus com-
parandis nititur, v. g. *caput*, alteri enim rei etiam ca-
put est, eodemque modo *fratres* ad *fratres* referuntur,
neque *servus* intelligitur, nisi illi *dominus* est, nec
frater nisi *fratrem* ei esse statuitur. *Ubi* quoque una
est harum notionum, tanquam rei ad locum relatio,
85 quemadmodum dicimus: *in domo*, vel *in taberna*. Post-
hac ad praedicamenta pertinet *quando*, tanquam rei ad
tempus relatio, quemadmodum dicimus: *cras*, vel *nunc*.
Hoc subsequitur *situs*, quomodo dico: *stans*, vel *caput in-
clinans*, vel *procumbens*, vel *dormiens*. Situs ea est partium
conditio, quae sive propter inclinationem, sive secundum
qualitatem a positionibus et locis deducitur. Post hoc
sequitur *possidere*, quemadmodum dico: *divitias possi-
90 dens*. Hoc subsequitur *actio*, quemadmodum dico: *dis-
secuit* et *passio*, quomodo dico: *dissectus est*. Haec

sunt decem praedicamenta et laus sit deo propter munificentiam suam.

De propositionibus.

Oratio partim exprimit aut verum aut falsum, v. g. *homo rationis est particeps*, hoc nimirum verum est; aut *homo est avis*, quod falsum atque a veritate alienum est: partim non tale quidquam complectitur oratio, quemadmodum dicimus: *Utinam mihi virtutes sint!* hoc nimirum nec verum est nec falsum, neque ulla, cur demonstretur, deprehenditur causa. Sed circa prius tantum versatur disquisito, idemque sive propositio, sive iudicium, sive enunciatio nominatur. Haec tamen aut simplex est, siquidem in illa conditio non exstat, quemadmodum dicimus: *Homo est animal ratione praeditum*: haec enim propositio, sine conditione enunciata, vera est et categorica appellatur, quum, quod propositio enunciat, simplex sit. Aut propositio conditionem continet et copula adiecta in unum coalescit enunciatum, quomodo dicimus: *Si stellae oriuntur, occidit orbis solis*, vel quemadmodum dicimus: *Animi aut superstites manent aut intereunt dum corpora intereunt.* Copulando enim unum obortum est enunciatum, duo enunciata arcte coniuncta sunt. Horum modorum prior vocatur *continuus*, alter autem *disiunctivus.* Exempli supra laudati prior pars est *antecedens*, quod reliquum est, nominatur *consequens.* Omni enunciato categorico duae sunt partes, altera est eius *subiectum*, altera eius *praedicatum*, v. g. *Omne corpus est substantia*: — vocabulum *corpus* est subiectum, alterum autem praedicatum, quod aut *affirmativum* est, veluti praedicatum modo prolatum; aut *negativum*, quemadmodum dicimus: *Rudis non scribit*, vel

propheta non mentitur. Praeter haec duo categoricarum enunciationum genera aliud non deprehenditur iudicium categoricum. Quodque vero subiectum aut est universale, quemadmodum: *corpus*, *substantia*, *homo*; aut partem tantum integrae essentiae exprimit, quomodo dicimus: *Zeidus.* Omnis propositio categorica, cuius subiectum persona est neque universale quoddam, nominatur *singularis*, quemadmodum dicimus: *Zeidus est creatura.* Quando subiectum vox est universalis nec praedicati vis in universum, neque in parte quadam distincte exposita est, propositio appellatur enunciatum *indefinitum*, quemadmodum dicimus: *homo incedit.* Postquam autem, quod in propositionibus indefinitis non distinctum fuerat, aperte et perspicue indicatum est propositio appellatur *definita*, quemadmodum dico: *Omnis vir intellectu praeditus est.* Huc quoque omne enunciatum pertinet in universum affirmans, quemadmodum dicimus: *Omnis vir intellectu est praeditus,* Ex eodem genere est quod singula affirmat, quemadmodum dico: *Aliquis homo est tabellio gratus.* Eodem porro trahendum est quod singula negat, v. g. *Nonnulli homines non albi sunt.* Non minus huc spectat quod in universum negat, quomodo dicimus: *Vir non est serpens.* Quaeque oratio definita quatuor modis est definita atque illa vox, qua enunciatio definita redditur, signum est quantitatis. Omnia autem, quae enumerare potes enunciationum genera, octo sunt: duo singularia, deinde duo enunciata indefinita, tum cetera definita, quae octo illa genera conficiunt. Iudicium aut est *semper necessarium*, quomodo dicitur: *Quodque par est numerus*, aut *problematicum* non semper existens, quemadmodum dicitur:

Zeidus sedet, aut *absurdum*, semper vanum, quemadmodum dicis: *Homo non est caducus.*

De opposito.

Duo enunciata, quae plane conveniunt in partibus, vocibus et notione, quae porro congruunt in distributione, tempore, actu, potentia, possibilitate et relationibus, quorum autem alterum est affirmativum, alterum negativum enunciatum: alterum particulare, alterum universale, conficiunt illud, quod in quovis enunciato *oppositum* vocatur.

De conversione.

Si enunciati et subiectum et praedicatum transponuntur — quemadmodum dicitur: *Quisque vir est homo*, et *quisque homo est vir,* — hoc per conversionem non pronunciavisti. Quidquid autem, quotiescunque transpositum est, verum manet, *conversum* vocatur. Enunciatum iam per se in universum negans conversione instituta etiam in universum negat. Enunciatum et particulatim et universe affirmativum conversione instituta particulatim affirmat. Quod extra conversionem particulatim negativum est — quemadmodum: *Non omnis substantia est homo,* — per conversionem dici nequit: *Non omnis homo est substantia.*

De syllogismo.

Syllogismus oratio est plures in complexu suo res comprehendens easque eo consilio coniungens, ut novum inde enunciatum necessario oriatur ac, quod ignotum fuit, cognoscatur. Nonnullae syllogismi consequentiae directe, nonnullae — quod secundum divisionis genus est — alio demum medio adhibito conficiun-

tur. Consequentiae directae nunquam reperiuntur, nisi in duabus propositionibus unum argumentum iterata vice est repetitum. Quidquid appellas iudicium, aut hypotheticum est, aut categoricum. Iudicia syllogismi nominare velis eius *praemissae,* harumque partes voca *terminos,* quod syllogismus colligit *conclusionem. Terminum medium* id appellari convenit, quod ad copulandum utrumque iudicium enunciatur, reliquum vocant (dialectici) *duo extrema,* quemadmodum tum *factum,* tum *corpus* (extremum nuncupatur) enunciati: *Corpus existendi facultatem possidet, quidquid existendi facultatem possidet, est factum. Facultatem existendi possidet* repetitum est, aliud vero cuique enunciato est reliquum, ex quo utroque reliquo syllogismi conclusio procedit. Siquidem post ea, quae protulimus, dicitur: *Ergo omne corpus est factum* i. e. existit. Subiectum conclusionis appellatur *terminus minor* e. g. *corpus,* alterum est *terminus maior,* quemadmodum diximus: *factum. Maius* vocatur illud, quo terminus maior; *minus* quo terminus minor continetur. Terminum medium copulandi tres deprehenduntur modi. Secundum unum eorum scilicet (medium in altero enunciato) subiicitur, deinde (in altero) praedicatur, qui modus prima figura vocatur: quemadmodum dicimus: *Omnis vir praeditus est corpore, omne corpus substantia est quantitativa.* Deinde (medium) de utroque termino praedicatur, quae figura secunda appellatur: quemadmodum dicimus: *Corpus visu praeditum est, intellectus caret visu,* utraque nimirum conditio est praedicatum. Postremo (medium) in utroque termino subiicitur, quae tertia forma est, quemadmodum dicitur: *Omnes aves auriculis carent, sed omnes aves non surdi sunt.* — Si primae figurae terminus

ior — sive praedicatum sive subiectum continet, — a universalis est, neque eius terminus minor enuntum est affirmativum, falsum esse potest, quod conditur. Si figurae secundae terminus maior non est iversalis, nec praemissarum altera negativa est, al a affirmativa, illae nec congruunt, nec, quod conditur, verum esse potest. Si terminus minor figu- tertiae praedicatum suum non reddit subiectum iclusionis affirmativum, atque in hac (conclusione) inciatum exstat universale, nihil hac figura conclun est. Si duarum propositionum altera est negativa, od ex illis colligitur, non affirmat. Si in altera prositione enunciatum particulare deprehenditur, consio nequit esse propositio universalis. Si neutra iemissa est particularis, conclusio fit propositio uni'salis; sed ex tertiae figurae propositionibus iudicium iversale colligi nequit.

De syllogismo exceptionis,
qui vulgo hypotheticus nominatur.

Si syllogismi compositi antecedens excipitur, ex iedicati qualitate etiam consequentis qualitas colligi-, quemadmodum dicimus: *Si omnis conditio habi- est cito imminutus, tum indoles non est habitus: untamen omnis conditio est habitus cito imminutus: ;o indoles non est habitus.* Deinde etiam consequens r oppositionem excipere potes. Ita v. g. dicimus: *Si odque corpus perpetuum esset, nunquam subiisset idenia, illud autem accidentibus se indui sivit, ideo dicimus: corpus senile, caducum.* Si consequentis alitatem conservas, antecedens vero per oppositionem nsmutas, tum ex copulatis his enunciatis nihil conitur. — Iudicia disiunctiva vel modo tollente, vel

180 modo ponente potes excipere. Duae quando iis partes sunt, illius, quod in parte altera excepisti, contrarium sequitur: positio nimirum colligitur tollendo non ponendo et ratione inversa. Hoc (de iudiciis disiunctivis), quibus duae sunt partes, statuendum. Si vero plures partes deprehenduntur, atque (antecedens) modo ponente exceptum est, tum oppositum ceterorum consequentium conclusionem integri enunciati constituit; sin (antecedens) modo tollente excepisti, consequentia dis-
185 iunctiva permanent, ita ut, postquam (praeter unam) omnes partes exceptae sunt, conclusione collecta una reliqua pars in vera sua qualitate denuo appareat. Si in ulla parte negatio deprehenditur, excipiendo non vera (huius negativae partis) qualitas, sed oppositum consequitur. E. g. *Animus aut neutiquam corpus est, aut entis intelligibilis forma dividitur; huius autem divisio absurda est; ergo consequitur, animum non esse corpus.* Iam absolvimus syllogismi doctrinam.

De inductione.

190 Si ex iis, quae de pluribus partibus demonstrata sunt, iudicium de omnibus partibus petitur, ea (concludendi oritur ratio), quam *inductionem* vocant, et cuius vis in partium multitudine sita est.

De analogia.

Si propter eas (rei cuiusdam partes), quarum similitudo manifesta est, de (integra huius rei) similitudine iudicium fertur, (concludendi oritur ratio), quae vulgo *analogia*, a quibusdam autem hominibus *exemplum* appellatur.

De principiorum materia.

Ignotum alio ignoto non redditur notum, sed re tantum iam intellecta. Quodsi omnia, quae intelliguntur, antea incognita fuisse ponimus, quaestiones in infinitum instituendae sunt sine termino, neque ullus homo instructus est scientia. Attamen prima, ex quibus incognitarum rerum cognitio procedit, nobis sunt principia. Quorum alia ex perceptione sensuum orta, — quemadmodum: *tenebrae noctis*, *splendor solis*: — alia ex opinionibus enata sunt, quae, si corpora et quaecunque sub sensus cadunt ipsorum obiecta sunt, vim, quae illa necessaria reddat, habent nullam: si vero ad originem corporum et ad res corporibus communes spectant, in iis versantur, quae res cum corporibus cohaerentes communia habent; v. g. unitas, multitudo, integritas, defectus, causa, finis. Iudicium ex opinione natum facile dilui potest, veruntamen homini tanquam omnino certum offertur. Quidquid enim opinio in animis perficit, modo, sensibus non minus obnoxio, perficitur, quam quae sensibus ipsis percipiuntur. Iudicium ab (opinione); antea memorata, latum, sicuti quod sensibus percipimus, efficitur, illudque rem non diiudicat, sicuti revera se habet; sed eodem, quo sensus statuunt, modo: idemque, etiamsi nos neque offendat, neque ab opinione in dubium vocetur, incertum manet. Ita v. g. contendimus, extra mundum necessarium esse aut vacuum, aut plenum: eodemque modo dicimus: Quod in loco quodam non versatur, revera non existit. — Alia principia sunt divulgata, ab hominibus ingeniosis laudata et vulgo nota, eaque statim a nobis ita approbantur, quasi creatione nobis indita essent. Horum alia vera sunt, sed non oportet, quemadmodum iam creditum est, ea statim vera agnoscantur. Ita v. g. dicimus: *Iniu-*

stitia est opprobrium et mendacium dedecus, aequitas vero bonum amabile. Alia non nisi per conditionem vera deprehenduntur. Aliis veritas nunquam continetur. Etiamsi nos nunc in mundum venisse imaginaremur, nec consilia, nec mandata, nec gratos mores nobis esse impertita, haec tamen omnia in dubium vocari liceret. Alia primum manifesta sunt, diligentius autem considerata reiiciantur oportet. Ita v. g. dicitur: *Opem praesta fratri, etiamsi iniusto,* (hoc nimirum enunciatum accuratius perspectum omnino vanum est), quum ille, ut ex improviso te obruat, saepe se accingat. Alia ab auctoritate nomen ducunt, e. g. sententia viri, tum indole grati, tum facundia suavis: prout ex auctoritate nostri sacrorum antistitis praeceptum accepimus, ieiunium ante solis occasum sustinendum, atque quodcunque, ex quo sanguis stillaverit, membrum lustrandum esse. — Alia principia sunt rationis, quemadmodum dicitur: *Pars minor est toto.* Ratio a natura nobis impertita est, qua de causa principia rationalia cogitando in dubium vocari nequeunt. Alia sunt principia fucata, siquidem res dissimiles assimilantur. Haec nominantur fallacia, et syllogismi sophistici ex illis componuntur. Alia principia, ut imaginationem moveant tantum, non vero, ut quidquam significent, proferuntur, quemadmodum dicimus: *Hic liberalis est* (*veluti*) *mare,* et quomodo dicitur: *Hic venustus est* (*veluti*) *luna.*

De demonstratione.

Principia, quae, quemadmodum supra declaravimus, aut hominibus a natura indita, aut, quin figura sensibilis iis respondeat, percepta sunt, materiem demonstrationis conficiunt. Aliae demonstrationes non nisi rem

existere exponunt, nec causam existentiae, sed saepe eius causatum declarant, prout dicimus: *Terra lunam luce privavit, eius latus huic obversum est, hæc enim defecit.* Haec enunciatio exponit quo modo, non autem declarat qua de causa (eclipsis aborta sit). Defectus non causa est lunae a terra obtectae, sed obtegentis terrae effectus in luna. Demonstratio, cuius medium effectum designat, vocatur *demonstratio ostensiva.* Aliarum demonstrationum terminus medius causam exponit, cur, quod colligitur et concluditur, existat. Ita e. g. dicimus: *Cras luna eclipsin patietur, illa enim caudam draconis intrabit*; *lunae autem in cauda draconis sedes efficit, ut ipsa deficiat.* Hoc igitur enunciatum tum causam speciosam, tum veram rei causam exponit eamque ergo duplici continet modo Causa nimirum (huius enunciati) non ea tantummodo constituta est ratione, quam supra memoravimus, quippe quum haec non vera rei, sed speciosa tantum fuerit causa, quae nos neque in perpetuum certos reddit, neque ultra existentiam ipsius rei vim suam conservat. Hac altera ratione quamlibet demonstrationem constitutam esse scito. Principia demonstrationis semper vera sunt atque ita necessaria, ut absurda fieri nequeant. In demonstratione ideo universale quidquam non praedicatur, nisi ea, quae attributis contineantur, omni modo et omni tempore ad omnia spectant; quam eandem ob causam nulli rei attributa non adscribunt (docti). Quidquid rei cuidam in demonstratione attribuitur, primarium, essentiale atque illius, quod in terminis quaeritur, simile sit oportet. Attributum vocatur primarium, quando ante illud (de re quadam) aliud attributum generale non praedicatur. Ita v. g. *hominem* (attributo primario) vocamus *ens animatum*; eum vero non (attributo primario) *corpus*

appellamus, siquidem *corpus* est attributum secundarium. Essentiale aut percipitur ex rerum, quibus attribuitur, definitione, eiusque internam et necessariam partem constituit; quemadmodum *vitam homini, latera corpori, ruditum asino* attribuimus; aut rerum, quibus adscribitur, vera natura ex illius demum definitione intelligitur, quippe quum in illa sola existat. Ita e. g. *elatio*, quando *nasus*, *figura* et *planities*, quando *obiectum* quoddam definitur, (essentialia sunt attributa). Quod et de omnibus praedicatur et obiecto cuidam tanquam primarium adscribitur et omni tempore illi attribuitur, vocatur universale demonstrationis. Quum et definitiones et speciosa et vera rei causa propriam demonstrationis naturam constituant, omnia ab illa aliena sunt, quae tum a postulato abhorrent, tum ab ipsius natura discrepant.

De quaestionibus.

Quotiescunque quaestio habetur, interrogamus aut *num* sit, aut *quid* sit res, de qua disputatur, aut *cur* sit res, in quaestionem vocata, aut — quod saepe etiam adiicitur — *qualis* sit. (Interrogatio particula) *num* (indicata) aut quaerit existentiam rei — quapropter etiam quaestiones, vocibus *quare*, *quid*, *qualis* significatas, antecedit, — aut percontatur qualitatem praedicati, rei cuidam adscripti. Ita v. g. vulgo quaeritur, *num corpore perdito animus etiam intereat*; vel *num tempus mensura sit an numerus*. (Quaestio pronomine interrogativo) *quid* (enunciata) aut definitionem essentiae desiderat, quemadmodum dicimus: *Quid est animal et planta?* aut sciscitatur verum rei cuiusdam nominis sensum v. g. *vacui*. De hoc nimirum nomine prius quaerendum est *quid sit*, quam *num revera tale quid-*

quam existat investigatur. Nominum non minus existentibus, quam non existentibus rebus impositorum significationes intellectu quidem comprehendere possumus, definire contra nequimus nisi res existentes: quidquid enim non extat, definiri non licet. (Interrogatio particula) *quare* (prolata) causam causati scrutatur, atque modo expetit praedicati, modo ipsius rei causam, quam si cognoveris, veram demum rei naturam intelligis.

De disputatione, arte rhetorica, poetica et sophistica.

Disputatio versatur tum in rebus divulgatis, tum in rebus concessis. Res divulgatae publice audiuntur et concionum materiem constituunt. Quae vero supputantur, et veri speciem prae se ferunt, ad sophismata pertinent, quorum scientia fucata est. Quae sub imaginationem cadunt, tanquam demonstrationes ostensivae poesi conveniunt. Hactenus de probationibus dictum sit. Laus deo, omnia sapienter ordinanti.

De definitione.

Scientiae altera pars de rerum notionibus est, altera argumenti cuiusdam probationem exponit. Ex syllogismo, de quo satis perspicue iam disputavimus, procedit probatio. Notio definiendo fit manifesta et singulae iterum eius notae illustrantur describendo. Siquando rei cuiusdam definitionem vis proferre, primo loco ponas oportet, genus rei huic maxime proprium, utpote quum attributis suis integram rei definiendae substantiam complectatur. Deinde quaeras distinctiones, quae potissimum sive a forma, sive a materie, sive ab agente, sive a fine rei deducuntur. Ita v. g. *homini*,

postquam illum *animatum* esse affirmatum est, *ratio*, *nasus simo*, *flavedo croco* (?), *medendi virtus medicamentis* adscribitur. Unam quando inveneris notam distinctam, noli cessare, donec argumentum omnibus numeris est absolutum — cessare enim vitiosum atque a proposito alienum est, siquidem definitio omnia plane disiungit; — sed distinctiones, donec nulla intacta remansit, diligenter perscrutare. Definiendo enim intelligentia nostra eo spectat, ut res cum omnibus, quibus constat, notis per se ipsam intelligibilis fiat. Distinctionibus vero semel omissis apparet disiunctio tanquam distinctio, attamen perfectam rei notitiam non nancisceris, quippe quum vera rei natura in cunctis illius veris notis sita sit, neque, ut inveniatur, neque, ut definiatur rei natura, nonnulla iam attributa sufficiant. Descriptio est enunciatio, singula attributa non secundum distinctiones, sed secundum accidentia disponens: quemadmodum *hominem* describimus *ens animatum largis unguibus, statura erecta, cute apparente praeditum*. Ut in definiendo, ita quoque in describendo, si perfectam exhibere volumus descriptionem, genus respiciendum est. Quaeque enunciatio, non eo, quem exposuimus, modo, constituta vel definitio est manca, vel descriptio manca, imperfecta. Sed sigillo nunc obsignemus libellum, postquam in illo doctrinam consonis numeris iam praecepimus.

Abu Nasr Alfarabii

fontes quaestionum.

Cap. I.

Scientia nititur partim notionibus immediatis, quemadmodum sol, luna, intellectus, anima concipiuntur: partim notionibus, probatione firmandis, quemadmodum demonstratur, coelum e sphaeris constare, aliis in aliis gyrantibus. Eodem etiam modo mundum factum esse notionibus cognoscitur, quae, nisi aliae notiones antecessere, per se imperfectae sunt. Ita v. g. corpus concipi nequit, nisi longitudo, latitudo, profunditas animo sunt informatae. Quaeque notio cum antecedente quadam cohaereat non oportet, quum, quo consistamus, neque ad priorem notionem recedamus, terminns necessarius sit. Tales termini sunt: necessitas, vera existentia, possibilitas: hae nimirum non egent re, antea animo concepta, qua ipsarum notio contineatur; sed hae sunt notiones manifestae, integrae, menti infixae. Quas notiones si quis verbis declarare cupit, hoc tantum eo instituit consilio, ut mentem attentam reddat, non vero ut illas rebus dilucidet, quum ipsae his sint clariores.

Cap. II.

Ad notiones probandas omnia illa pertinent, quae, sine rebus aliis antea animo conceptis, concipi nequeunt. Quando v. g. intelligere volumus, mundum esse factum, nobis primum probetur oportet, mundum esse compositum, atque omne compositum esse factum, unde intelligimus, mundum esse factum. Hoc iudicium denique ad ultimum iudicium progrediatur oportet, quod nullum, sub quod ipsum iterum cadat, iudicium antecedit. Haec sunt iudicia primaria, intellectui manifesta, v. g.: *Duarum enunciationum contradictorie sibi oppositarum semper altera est vera, altera falsa,* et: *Totum maius est eius parte.* — Doctrina has cogitandi vias nos edocens, atque hac via et rerum notiones et probationes nobis parans, logica nuncupatur. Finis noster est, utramque modo memoratam viam ita pernoscere, ut inter notionem integram et mancam, probationem veram et veritati propinquam, opinionem praevalentem et dubiam distinguere possimus. Hac distributione notiones integrae et probationes certae, non amplius in dubium vocandae, nobis redduntur.

Cap. III.

Statuimus igitur, entia duplicis generis esse, alterum scilicet quod non necessario existere ex ratiocinationibus colligamus: hoc appellatur *existentiae possibilis particeps.* Alterius essentiam ratiocinationibus talem invenimus, qualem existere oportet, idemque *existentia necessaria praeditum* nuncupatur. Quando quidquam, quod non existere definivimus, possibilis existentiae compos est, inde non necessario absurdum consequitur: etenim non solum eius existentia, sed etiam huius causa adsit opus est. Cum autem quidquam necessarium est,

alius cuiusdam gratia existat oportet, unde sequitur, ens per se non nisi existentia possibili praeditum propter aliud quidquam necessarium fieri posse. Haec possibilitas vel in re quadam, vel in tempore, omne tempus excedente, situm esse potest. Rerum possibilium causa et causatum nec in infinitum progredi possunt, nec in orbem recedere queunt; sed perveniant oportet ad terminum quendam necessarium, qui est ens primum.

Cap. IV.

Quando ens, necessaria existentia instructum, non existere definitur, absurdum inde consequitur. Illius existentiae non adest causa, nec per aliud quoddam potest existere. Idem rerum existentium prima causa est, unde necessario sequitur, eius existentiam esse existentiam primam. Si ab illo unumquodque detrimentum removetur, perfecta est eius existentia. Necessario igitur sequitur, eius existentiam omnium existentiarum perfectissimam atque liberam esse ab accidentibus v. g. a continuitate, forma, agente, termino.

Cap. V.

Illi non est certa forma, qualem v. g. corpori adscribimus: etenim si dicis, (corpus) existere, aliud est existentiae definitio, aliud corporis definitio: illud enim (ens primum) necessariam habet existentiam, hoc (corpus) per illud existit: — unde consequitur, illi neque esse genus, nec differentiam, nec definitionem, nec demonstrationem, sed illud omnium rerum esse demonstrationem. Illud ab omni aeternitate in perpetuum per se existit, neque interitus ei imminet, neque in potentia existit. Unde sequitur, fieri non posse, ut non sit, nec illi opus esse re, existentiam suam extendente.

Non mutatur ex una in aliam conditionem, illudque ita est unum, ut vera eius essentia in aliam rem non quadret, atque ita unum, ut divisionem non admittat, quemadmodum res, quibus magnitudo est et quantitas. De illo nec praedicatur *quot*, nec *quando*, nec *ubi*, neque *est corpus*. Idem unum est eo sensu, ut essentia sua cum rebus externis non perinde cohaereat, quasi ipsius existentia ex illis deducenda sit. — Neque oritur eius essentia ex attributis, qualia sunt: forma, continuitas, genus, differentia, neque ei simile est quidquam. Illud est bonum absolutum, intelligentia absoluta, intelligibile absolutum atque intelligens, quae cuncta tria in illo unum sunt. Illud sapientia, vita, prudentia, potentia et voluntate est praeditum. Illi summa est pulcritudo, praestantia et splendor celsissimus. Illud maximo per semet ipsum fruitur gaudio, idemque desiderans est primum atque desideratum primum. Omnes res, quatenus notae ipsius existentiae iis inhaerent, ab illo existentiam deducunt, quapropter ipsum est ens, a quo omnia entia secundum ordinem manifestantur notis existentiae illius praeditae.

Cap. VI.

Omne ens est portio existentiae illius gradusque singularis. Existentia rerum ab illo procedit, illae autem non propterea existunt, quod, sicuti nos tendimus, ab illo tetenderunt. Illud vero neque ad res tendit, neque ratione naturali res a se dimittit, quin illi insit cognitio atque voluntas eas dimittendi et manifestandi. Res ea tantummodo ex causa ab illo effunduntur, quod illud semet ipsum novit atque boni, quatenus existat oporteat, constituendi principium se intelligit. Eius cognitio revera in causa est, quod, quam noverit, res

existit, neque a tempore pendet illius cognitio rerum. Idem quod existunt res omnes in causa est. Illud eatenus ens est absolutum, quatenus existentiam aeternam rebus impertiit et interitum ab iis removet; non vero quatenus, postquam non exstitere, separatam iis tribuit existentiam. Illud primi productoris causa est. Productio sita est in re, non per semet ipsam existente, perpetuo conservanda: rei constantia autem a nulla, nisi a productoris essentia, pendet causa. Omnes res ab illo derivantur ea ratione, ut idem earum sit productor, vel ut inter illud atque inter istarum rerum productorem nil intercedat; sed ut ipsum intercessoris instar ceterarum rerum sit causa ac fons solus. Ad perficienda opera sua illud neque ulla permovetur causa, nec, quae instituit, alius rei gratia instituit.

Cap. VII.

Prima creatura, ab illo profecta, una est numero: intellectus scilicet primus. In hac prima creatura per accidentia multitudo manifestatur: nam eius existentia per se possibilis est, necessaria vero eius existentia fit per primum, quum et suam ipsius essentiam et primum noverit. Quae autem in illa (creatura) manifestatur multitudo non a primo procedit, nam propter suam essentiam existere potest, et existentiae modum accepit a primo.

Cap. VIII.

Ex primo intellectu — quatenus necessario existit et primum ens novit — procedit alius intellectus, in quo non, nisi modo supra allato, multitudo continetur. Ex eodem primo intellectu — quatenus existentia eius possibilis est et ipse essentiam suam novit —

procedit tanquam secundum (productum) orbis et continuitate et forma sua supremus, anima scilicet. Qua re tantummodo indicatur, hanc utramque rem duarum rerum causam fieri, orbem scilicet et animam.

Cap. IX.

Ex intellectu secundo procedit alius intellectus et alius orbis sub orbe supremo. Hi ea tantum ex causa ab isto proveniunt, quia per accidentia in illo multitudo manifestatur, quemadmodum hoc de primo intellectu supra commemoravimus. Hac ratione intellectus et orbis ex intellectu procedunt, nec nisi computando et consummando intellectuum atque orbium quantitatem scimus, donec intellectus agentes pervenerint ad intellectum agentem, a continuitate liberum, quo numerus orbium absolvitur. Horum enim intellectuum alius ex alio non catenae instar in infinitum procedit. Iidem speciebus sunt diversi. Unusquisque seorsim speciem conficit, eorumque postremus partim in causa est, quod animae terrenae existunt, partim, quod orbibus intercedentibus quatuor initia deprehenduntur.

Cap. X.

Ex his initiis temperationes genere diversae procedunt, quae ita dispositae sunt, ut aliae vegetalem, aliae animalem, aliae rationalem animam ex illa recipere possint substantia, in qua diversae tum huius mundi, tum orbium, circa punctum fixum et immobile gyrantium, naturae nituntur. Ex motu horum orbium atque ex unius cum altero secundum ordinem instituto contactu quatuor elementa procedunt. Unusquisque intellectus boni, ex semet ipso manifestandi, novit modos atque hactenus ille in causa est, quod bonum ab ipso

necessario proveniens existit. Corporibus coelestibus aliae sunt universales, aliae particulares cognitiones, unde inter varios ex alia in aliam conditionem transeundi modos una efficitur species, secundum quam res e ratione notionis falsae mutantur. Ex hac eorum falsa notione provenit notio corporis, quae causa motus est. Ex coniunctis imaginationum, quas habent, partibus oriuntur motus corporales. Hae deinde mutationes efficiunt, ut quatuor initia et omnia, quae in hoc mundo mutabili et corruptibili deprehenduntur, novas subeant mutationes.

Cap. XI.

Quia vero corpora coelestia unam notionem participant, motum scilicet gyrantem, ab iis procedentem, haec communio quoque efficit, ut quatuor elementa unam materiem participent. Quum illa autem diverso modo moveantur, quatuor nascuntur formae diversae. Illorum ex alia in aliam conditionem mutatio efficit quatuor materiarum mutationem, eademque rerum, quae fiunt, existentiam, rerum corruptibilium corruptionem adducit. Licet autem corpora coelestia et quatuor materiae compositionem ex materia et forma participent, tamen orbium et corporum (coelestium) continuitas a continuitate quatuor elementorum et corporum corruptibilium diversa est, quemadmodum etiam forma illorum ab horum forma recedit, etiamsi omnia corpore sunt praedita, siquidem tres dimensiones in illis definiuntur, illisque revera insunt. Materies autem in actu esse nequit sine forma, nec minus forma naturalis carere potest materie; sed materia, ut per ipsam ens fiat reale, indiget forma, neque altera earum fieri

potest causa alterius; sed causa, utramque simul efficiens, existat oportet.

Cap. XII.

Motus corporum coelestium ad positionem spectant, et per circulum conficiuntur. Corporum contra corruptibilium motus locales sunt, quantitativi et qualitativi. Corporibus simplicibus necessarii sunt motus aequabiles, qui duplicis sunt generis: alter nimirum e medio progreditur, alter ad medium fertur. Motus rerum compositarum accommodatus est accumulationi maiori vel minori simplicium inter quatuor elementa, quibus consistunt, corporum.

Cap. XIII.

Principium motus et quietis quando neque extrinsecus, neque a voluntate quadam procedit, appellatur *natura*. Quando motus aequabiles sine ulla voluntate perficiuntur, (principium) nominatur *anima vegetalis*. Quando motus cum voluntate vel uno modo, vel pluribus, qualescunque sunt, rationibus instituitur, (principium) appellatur sive *anima animalis*, sive *anima orbium*. Motus, quo singulae res copulantur, nuncupatur *tempus*. Terminus, quo tempus dividitur, vocatur *momentum*. Neque initium, neque finis motus in tempore sita esse possunt, tum enim res hac ratione se movens atque eiusdem modi motor inveniretur oporteret. Motor vero, si vicissim moveretur, alio motore indigeret, siquidem motum a motore secerni nequit. Nulla autem res per se ipsam potest moveri, quum hac ratione eam finitam esse oporteret. Quibus ex causis ad motorem, qui ipse non movetur, perveniendum est, quod quidem si non fieret, res motae atque motores

in infinitum essent statuendi, quod absurdum est. Motor, ipse immobilis, unus, nec magnitudine, nec corpore praeditus sit oportet, neque e partibus constare, neque ullo modo quantitatem illi inesse licet.

Cap. XIV.

Planities corporis comprehendentis et corporis comprehensi appellatur locus. Vacuum existit nullum. Corpora coelestia, quum circumvolvantur et centrum iis sit, plagam manifestant. Corpus, quod a natura, ut certa quadam ratione feratur, institutum est, ad assumendam aliam movendi rationem vi non potest impelli: illud enim, quando motus in orbem a natura ei est inditus, recta regione ferri non potest. Unumquodque ens corruptibile recta ratione cietur, orbis vero propter ipsius naturam gyrat per orbem.

Cap. XV.

Nulla exstat quantitas, quae ita possit dividi, ut ei non amplius partes remaneant. Corpora non sunt composita ex partibus, quae novam distributionem non admittant: nec compositio corporis, nec motus, nec tempus a partibus componuntur non amplius dividendis. Res quantitatum et numerorum participes etiam compositae sunt. Hoc autem revera in infinitum procedere nequit. Nam, si infinitum quidquam existere possit, tamen neque in vacuo, neque in pleno spatio infinitam dimensionem reperiri licet. Praeter motum gyrantem, quocum tempus cohaeret, motus continuus existere nequit. Motus recti non sunt continui, illis neque est spatium, quo continuo se convertant, nec, quando in se ipsos reflectantur, nec, quando in eorum inflexione angulus construatur, tempus esse potest continuum.

Cap. XVI.

Omni corpori locus est, quem ingreditur, et quo semper rapitur. Si corpus simplex est, locus suus et figura sua unius eiusdemque nec variae et diversae speciei sint oportet. Huius modi etiam corpus est, quod per circulum fertur. Figura uniuscuiusque quatuor (initiorum) sphaerae est similis. Cuique corpori est vis, quae, ut per se ipsum moveri ordiatur, efficit. Genera corporum propter principiorum, ex quibus consistunt, diversitatem deprehenduntur diversa. Simplicia mundi corpora occupant loca, in quibus versantur; nulli autem eorum duo sunt loca. Mundus ex corporibus simplicibus compositus et globi figura indutus est. Extra mundum nulla existit res,, haec enim ibi nullo in loco versaretur, neque, ut sive vacuum, sive plenum ibi existere possit, locus relinquitur. Quodque corpus naturale, quando ad locum ipsi proprium pervenerit, non movetur nisi vi impulsum: quando vero a loco suo depellitur, natura sua eo iterum tendit.

Cap. XVII.

Orbis coelestis natura est natura quinta nec calida, nec frigida, nec gravis, nec levis. Orbem coelestem nihil pervadit, neque illi inest principium se recte movendi, nec quidquam obstat eius motui. Orbis coelestis non existit, ut alia res ab eo procedat; sed non nisi peculiari eius conditioni tribuendum est, (alia ab ipso prodire), illius motus incorporeus, non naturalis deprehenditur, idemque non ex cupidine vel ira, sed ea de causa instituitur, quia desiderio tenetur entibus intelligentia praeditis et continuitatis expertibus se assimilandi. Omni corpori coelesti intellectus est discretus, ipsi proprius, cui se assimilare cupit. Om-

nium desiderium non ad unam unius generis rem tendere potest; sed, quod ab unoquoque desideratur, peculiare est et diversum ab alterius desiderato. Omnia in eo consentiunt, quod desideratum statuunt unum: hoc scilicet est desideratum primum. Unicuiqne (eorum) infinita vis motoria insit oportet; sed uniuscuiusque corporis terrestris vires finitae sunt. Vis autem finita neque corpus per infinitum tempus movere, neque infiniti corporis motum ciere potest. Corpus neque corporis, neque animi, neque intellectus existentiam potest inferre.

Cap. XVIII.

Corporibus ex quatuor initiis compositis vires insunt, illis dispositionem ad actum necessariam tribuentes, calor scilicet et frigus; aliaeque vires, quae illa ad actum subeundum apta reddunt, humiditas nimirum et siccitas. Iisdem aliae insunt vires, activae scilicet et passivae v. g. gustus, qui in lingua et ore, olfactus, qui in olfaciendi organo agit, item durities, mollities, asperitas, lentor, quae omnes ex primis istis initiis procedunt. Corpus, in cuius natura caliditas praevalet, ignis est: illud, in quo frigus maxime valet, nuncupatur aqua, in quo fluidum superat aër, in quo solidum praeponderat terra. Hae quatuor materiae, quae et essentiae et corruptionis sunt principia, ut aliud in aliam conditionem transeat, efficiunt. Quae manifestantur res corruptibiles tantummodo ex temperationibus, in illis manifestis, diverso modo procedunt, prout ad naturam et formam, quibus consistunt, diversam induendam aptae redduntur.

Cap. XIX.

Ex his formis qualitates sensibus percipiendae procedunt, quae intereunt, quibusque aliae succedunt: formae autem in statu suo superstites servantur. Vires et formae omnis rei, ex quatuor temperationibus procedentis, reliquae manent, nec corrumpuntur. Vera temperationis natura in eo versatur, ut quatuor qualitates, statum suum commutent, atque a simili in similem transeant. Hoc autem a virtutibus primariis atque a viribus, quas aliae in alias exercent eo modo perficitur, ut media qualitas oriatur, quam creator infinite laudandus pro arbitrio constituit. Hic enim principia creavit, ex iis diversas temperationes excivit, singulis temperationibus peculiarem speciem tribuit, eas ita disposuit acsi iustam temperiem arcuisset, atque omnis speciei causam ita formavit, tanquam perfectionem removisset. Speciem iustae temperiei proximam hominis temperationem constituit et quidem ita, ut ad induendam animam rationalem idonea sit. Quaeque plantarum species animam, huius speciei formam, possidet, ex qua forma vires huic speciei propriae procedunt, quasi instrumentorum, quibus agat, vice fungantur. Eodem modo omnes animalium species sunt constitutae.

Cap. XX.

Inter omnia animalia homini quaedam sunt proprietates, quippe quum anima praeditus sit, qua, instrumentis corporeis adiuvantibus, vires ad perficienda opera necessariae manifestantur. Deinde magnam possidet homo virium copiam, quibus, nullo corporeo instrumento adiutus, agere potest. Hae sunt vires activae. — Ad illas vires pertinent vires nutrientes, augentes, generantes, quarum unicuique aliae sunt vires,

illis subiectae. Viribus sensitivis annumerandae sunt vires externae, varii sensus interni modi, imaginatio scilicet, informatio, recordatio, cogitatio. Deinde vires motivae animae insunt, appetitivae scilicet, irascibiles et vires membra moventes. Virium modo commemoratarum unaquaeque per instrumentum agit, neque aliter nisi hoc modo opera perficere potest, neque ulla earum a materia seiuncta deprehenditur.

Cap. XXI.

Animae viribus annumerandus est intellectus theoreticus, qui, quid operum humanorum factu opus sit, indicat. Ad vires animae pertinet intellectus practicus, quo substantia animae integra redditur, et quo anima in actu fit substantia rationalis. Hic intellectus pluribus manifestatur gradibus. Ille modo est materialis, modo recipiens, modo receptus. Hae vires, quae entia intelligibilia comprehendunt, non corporeae sunt, sed substantia simplex, neque a potentia in actum transeunt, nec fiunt intellectus integer nisi per intellectum, nulla materia egentem, qui intellectus agens est, illam (substantiam) in actum perducens. Entia intelligibilia re dividua et alicubi sita contineri nequeunt. Ille intellectus, a materia separatus, post corporis mortem permanet, neque ulla illi inest vis, corruptioni obnoxia, quippe quum substantia sit simplex, ac verus homo, cuius vires ab illo per membra distribuuntur. Hic (intellectus) a (principio) formas impertiente procedit, quando res ad excipiendum ipsum commoda manifestatur.

Cap. XXII.

Haec (res) est corpus, quod hac conditione ita

dispositum deprehenditur, ut (intellectus) manifestari possit: illud autem, (quod in corpore manifestatur,) materies est aetherea et spiritus vitalis, in medio cordis ex corporeis partibus constans, idemque primum conficit animae substratum. Anima vero ante corpus, quemadmodum Plato contendit, existere nequit. Non minus potest anima ab alio in aliud corpus migrare, quomodo metempsychosis auctores statuunt. Post mortem anima tum beatitudinem, tum miseriam subit. Hae autem conditiones singulis animis diversae sunt, quandoquidem ipsis secundum merita ex necessitate adscribuntur. Eadem enim in his, quae in homine est ratio, quippe quum ex altera parte eius valetudo bene sit constituta, ex altera contra corporis morbi oriantur. Rerum gubernatio posita est in manu dei summi, atque omnia, utpote ab illo creata, bona sunt. Dei cura omnes res comprehendit, atque unumquodque complectitur. Omnis creatura ex eius decreto et per eius consistit potentiam. Etiam mala per eius potentiam et secundum eius consilium accidunt: mala enim comitantur res, necessario cum malis coniunctas, et creaturis corruptibilibus mala adhaerent. Laude igitur dignum est, haec mala occurrere, quippe quum multa bona, nisi mala deprehenderentur, non permanerent. Si multa bona, quae cum illis cohaerent, propter exigua, quibus opus est, mala desiderarentur, plus etiam mali existeret.

Animadversiones.

Quodsi in explicando auctore philosophico duplex praecipue res respicienda est et consideranda; quandoquidem summopere niti decet, ut partim intimam cogitationum ipsius cognitionem nobis camparemus, easque iusto ordine perspiciamus, partim autem investigemus et monstremus, qua ratione eius sententiae cum priorum vel posteriorum philosophorum placitis cohaereant: in illustrandis Arabicis philosophiae scriptoribus argumentum secundum levioris momenti vel omnino supervacaneum esse multis videri potest, quum in illis saltem, quas exhibuimus, commentationibus paucae tantum vel nullae propriae sententiae deprehendantur, illi autem, ex quibus omnia desumpta sunt, auctores, Aristoteles et Alexandrini inter nos satis innotuerint. Hanc tamen opinionem bene defendi et sustentari posse non credo, quum, si usquam, imprimis nostro loco plurimi intersit, singula huius eclecticae, si ita dicere licet, philosophiae principia discernere, et monstrare, quae ex Aristotele, quae ex Alexandrinis arcessita, quomodo utrique scriptores explicati sint, qua ratione utrorum opiniones conciliari sit coeptum, qualem vim Mohammedana religio et propria rerum philosophicarum disquisitio exercuerit et quo pacto ex omnibus hisce orta sit philosophandi ratio Scholasticorum, qui Aristotelem ab Arabibus acceperunt, et se ipsos veros veteris Peripateticae doctrinae sectatores et excultores habebant. Hac de causa singulorum dogmatum fontem detegere et ostendere, atque ex Aristotele, in quo omnium horum auctorum doctrinae nituntur, illos locos, quibus Arabici nostri scriptores

hortulos suos irrigavere, diserte afferre studui. Si vero huic rei, imprimis in animadversionibus ad Alfarabii commentationem, quae inscribitur: »Fontes quaestionum« nimis indulserim, dum etiam enunciata minoris ponderis cum similibus Aristotelis locis composui, a viris doctis candide veniam peto. In notis ad primam dissertationem »de rebus studio Aristotelicae philosophiae praemittendis« locos ex commentatoribus Graecis praecipue eo consilio collegi, ut perspicuum fiat, quanta auctoritate illi apud Arabes fruerentur et quantopere auctor noster eos in suum usum converterit. —

Algazalii et Averrois doctrinas metaphysicas saepius et maiori cum fructu contulissem, si posterioris auctoris libris, Latine versis et Venetiis impressis, uti mihi licuisset. Qui quum non in promptu essent, ad paucas delegatus fui sententias, quas Tennemannus aliique ex scriptis modo memoratis excerpsere. Avicennae autem commentationes philosophicas, quae literis Arabicis consignatae eius Canoni, Romae anno 1593 edito et nunc admodum raro, annexae leguntur, indefessa cl. *Freytagii* cura et benevolentia mihi prospexit. Sed has commentationes, quum iam in eo essem, ut libellum typis mandarem, non, quoties optavi, comparare mihi licuit. Nihilo minus tamen me in locis difficilioribus semper fere hunc librum consuluisse benevolus videbit lector. —

Alfarabii
de rebus studio Aristotelicae philosophiae praemittendis commentatio.

Primum, quod proposuimus, Arabicae philosophiae specimen, si rem ipsam spectas, nihil paene praebet novi, quum quae hac Alfarabii dissertatione exponuntur, iam saepius eodem modo ab Aristotelis interpretibus *Ammonio*, *Simplicio*, *Davide*, *Philopono*, aliis sint disputata Nobis vero, ut posthac, quantum Arabes in philosophia elaboraverint, diiudicari liceat, huic doctrinae nullo modo bene consuli posse videbatur,

nisi rem ab ovo, quod dicunt, exordiremur. Quemadmodum enim Graeci commentatores ad Aristotelem ipsum interpretandum non prius se accingebant, quam, qua ratione et quo modo Stagiritam commentaturi essent, prooemio qualicunque exposuissent, ita quoque Arabs noster, illorum vestigia premens, prolegomena sua hac exhibuit commentatione, quae igitur viam, quam ipse in Aristotelis scriptis explicandis ingressus sit, ostendit dilucidatque. Ex illa non solum videmus, quantopere Arabes interdum mera Graecorum auctorum verba repetierint, sed etiam quantopere commentariis, quorum auxilio Aristotelicos libros sibi perspicuos et planos redderent, usi sint Graecis. Tota commentatio plurimis locis cum Graecis exemplis, praesertim cum Ammonii in categorias isagoge tam mire conspirat, eandem plerumque distributionem atque eundem distributionis ordinem tam accurate tuetur, ut propemodum dixeris, Alfarabium in conscribenda ea Graecos Ammonii, Simplicii, ceterorum libros, ex quibus hunc commentariolum epitomes instar composuerit, ante oculos habuisse. Quam opinionem refutare equidem nequaquam tentabo, licet haud plane ita sentiam. Primum enim Alfarabius totam commentationem non, ut Graeci modo memorati, in decem, sed in novem capita dispertiit; deinde libros Aristotelicos non quidem ad novum ordinem digessit, attamen in enumerandis iis et ordinandis ita est versatus, ut σχηματισμός non tam late, quam apud Ammonium ceterosque, diffundatur; postremo vero libros ἀναλυτικῶν non, ut illi interpretes, in *priora* et *posteriora* distinxit, sed vetustiorum commentatorum more analytica priora simpliciter ἀναλυτικῶν, posteriora autem ἀποδεικτικῶν nominavit. Quae quum ita sint, a vero haud omnino aberrasse mihi videor, dum statuo, Alfarabium nonnullis locis saltem vetustiorum interpretum v. g. *Galeni* (cuius εἰς κατηγορίας ὑπόμνημα inter libros deperditos diserte laudatur*), *Alexandri Aphrodisiensis*, *Themistii*, aut alius cuiusdam veteris interpretis commentarios consu-

*) Cf. *Fabricii* bibl. Gr. Tom. III. pag. 553.

luisse, atque ex iisdem, quae sibi meliora visa sint, sumpsisse. Omnia enim Galeni scripta summam apud Arabes assecuta erant celebritatem; Alfarabius deinde ipse in capite octavo Galeni versum (qui, licet nobis ex alio Galeni libro innotuerit, fortasse etiam in eius ad categorias commentario legebatur), a nullo commentatore laudatum, diserte exhibuit; Aphrodisiensis autem libri, imprimis eius in categorias commentarii, inter Arabes iterum iterumque lectitabantur, et ab ipsis haud semel versi, immo ab ipso Alfarabio sunt explicati*). Praeterea posteriores commentatores, Ammonius et Simplicius apud Casirium obiter tantum, Davides vero et Philoponus haudquaquam commemorantur. Quid multa? non solum Alfarabium, sed etiam ipsos supra memoratos Graecos dogmata sua a Galeno et Alexandro Aphr. hausisse, mihi fere persuasum est, quum alter non minus in medicina, quam in philosophia summa frueretur auctoritate, alter vero ἐξηγητὴς κατ' ἐξοχὴν nominaretur. Quae opinio quodammodo iam eo confirmatur, quod posteriores Graeci commentatores non solum in ipsis suis argumentis mire congruunt, sed saepenumero etiam nuda priorum verba repetunt. Tales enim socordes, protervos et ingenio pravos, ut alius alium sine ulla maioris momenti auctoritate transscripserit, illos nemo sane habebit.

Quae quomodocunque se habent, id satis superque liquet, Alfarabium Graecos commentarios compilavisse, eique merito epitomatoris nomen tribuendum esse. Sed ex tota huius commentationis indole patet, Arabem nostrum res, ante Aristotelicae philosophiae studium tractandas et cognoscendas, obiter tantum eo consilio excerpsisse, ne populares omnis Graecae eruditionis ignari Stagiritae scripta aggrederentur. Non minus manifestum est, illum eadem de causa plura Graeca nomina propria atque sectas philosophicas, a Graecis interpretibus laudatas, omisisse, ne Arabum animos enumerandis nominibus et rebus, sibi ipsi non satis notis, a vero suo proposito removeret. Ubi nimirum

---

*) Cf. *Casiri* I. pag. 243. 247. 304—306.

Graecus auctor tresve quatuorve eiusdem rationis et ordinis sectas philosophicas enumerat, earumque doctrinas fusius exponit, apud Alfarabium una tantum memoratur et brevibus verbis describitur. Deinde ex indole huius dissertationis et scribendi genere non solum nemo non videt, Alfarabium quam maxime brevitati indulsisse, sed illam etiam ab ipso summa cum festinatione, currente calamo, excerptam esse. In quibus rebus auctor noster a Graecis discedat, iusto loco indicabimus.

Easdem, quae studio Aristotelicae philosophiae praemittendae sint, res commemorant interpretes Graeci. Omnes autem non novem, quemadmodum Arabs, sed decem enumerant res necessarias, quas hic ex Ammonio*) describere iuvat: *Ἔστι δὲ τὰ ὀφείλοντα προληφθῆναι κεφάλαια δέκα· πρῶτον, κατὰ πόσους τρόπους ὀνομάζονται αἱ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεις.... δεύτερον, περὶ τῆς διαιρέσεως τῶν Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων. τρίτον, πόθεν ἀρκτέον τῶν Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων. τέταρτον, τί τὸ τέλος τῆς Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας. πέμπτον, τίς ἡ ὁδὸς ἡ ἐπὶ τὸ τέλος ἄγουσα. ἕκτον, τί τὸ εἶδος τῆς Ἀριστοτελικῆς ἀπαγγελίας. ἕβδομον, διὰ τί τὴν ἀσάφειαν ἐπετήδευσεν. ὄγδοον, ποῖον δεῖ εἶναι τὸν ἀκροατήν. ἔννατον, ποῖον δεῖ εἶναι τὸν ἐξηγούμενον. δέκατον, πόσα δεῖ προλέγειν ἑκάστης Ἀριστοτελικῆς πραγματείας κεφάλαια.*
Aliis verbis eandem distributionem praebent *Davides***) et *Philoponus****). Haec vero in decem capita divisio nihil, quod apud Alfarabium desideretur, continet. Nam quae Ammonius in cap. octavo et nono exposuit, tam arcte inter se cohaerent, ut Alfarabius haud immerito ea ad unum et idem caput referre potuerit. *Ammonius* et *Davides* ipsi hoc iam viderunt, quippe quum, licet eandem distributionem agnoscant, utrumque hoc argumentum uno capite absolverint.

---

*) *Ammon.* εἰς κατηγ ed. Ald. pag. 5, b.
**) Cf. edit. Academiae Berol. mox proditura pag. 22.
***) ibidem pag. 34.

Cap. I.

Sectarum philosophicarum ab *Ammonio*, *Philopono* et *Davide* etiam septem laudantur. Arabs vero in exponendis his sectis plura commemorare supersedit, quae apud illos commentatores leguntur. Quam ob causam, ceteris omissis, ex *Philopono*, qui in hoc capite distribuendo cum Alfarabio omnium maxime conspirat, ea tantum afferemus, quae cum textu Arabico fere congruunt *). *Πρῶτον μὲν οὖν ὀνομάζονται αἱ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεις ἀπὸ τινων ἑπτά. ἢ γὰρ ἀπὸ τῶν αἱρεσιαρχῶν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι λέγονται... ἢ ἀπὸ τῆς πατρίδος τῶν καταρξαμένων, ὥσπερ ἡ Κυρηναϊκὴ φιλοσοφία λέγεται, ἢ ἀπὸ τοῦ τόπου ἔνθα ἐπαίδευον, ὥσπερ οἱ Στωϊκοί, ἐπειδὴ ἐν τῇ στοᾷ ἐπαίδευον τῇ ποικίλῃ... ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους τῆς ζωῆς, ὥσπερ οἱ Κυνικοὶ φιλόσοφοι, οἵτινες κύνες ὠνομάζοντο διὰ τὸ παῤῥησιαστικόν τε καὶ ἐλεγκτικόν... πέμπτον λέγεται ἀπὸ τοῦ τρόπου τῆς ἐν τῷ φιλοσοφεῖν διακρίσεως, ὥσπερ οἱ ἐφεκτικοὶ φιλόσοφοι... ἔλεγον γὰρ οὗτοι παντελῶς ἀκαταληψίαν εἶναι καὶ μηδένα μηδὲν γινώσκειν ... ἕκτον ὀνομάζεται καὶ ἀπό τινος συμβεβηκότος, ὡς οἱ ἀπὸ τοῦ περιπάτου. ἐπειδὴ γὰρ ὁ Πλάτων ἐξηγούμενος ἐβάδιζε, θέλων τὸ ἑαυτοῦ σῶμα γυμνάζειν, ὡς ἂν μὴ ἀσθενέστερον γεγονὸς ἐμποδὼν γένοιτο ταῖς ψυχικαῖς ἐνεργείαις... ἢ ἀπὸ τοῦ τέλους τῆς φιλοσοφίας, ὡς οἱ Ἡδονικοί. Οὗτοι γὰρ ἔλεγον τέλος εἶναι τοῦ βίου τὴν ἡδονήν. κ. τ. λ.* *Davides* in exigendis philosophorum sectis eadem, sed *Ammonio* etiam fusius, enarrat; in constituenda vero sexta et septima secta eundem, quem Arabs ordinem servat.

Cap. II.

Ordo, ad quem Alfarabius Aristotelis libros digessit, non quidem ille est, quem anonymus bibliothecae Arabicorum philosophorum auctor **) observat, et qui ab *Andronico* et *Adrasto* institutus esse videtur ***), nec talis deprehenditur, qualem *Diogenes Laertius* (lib. V.)

---

*) Cf. *Philop.* l. l. pag. 34 et 35.

**) *Casiri* I, pag. 304.

***) Cf. cl. *Brandisii* dissert. de Arist. libr. fatis Rhein. Museum I, pag. 262.

nonnullique posteriores commentatores praebent; sed, si rei summam spectas, Alfarabius in hac quoque librorum distributione cum *Ammonio*, *Davide*, *Philopono* cet. satis accurate convenit, quamquam hi iusto fortasse fusius de hoc argumento disputant. *Ammonius*, eorum vetustior, haud tantopere ab Alfarabio discedit, quantopere ceteri, licet libri apud hunc non totidem divisiones subeant, quot apud *Ammonium*. Nam nec scripta *αὐτοπρόσωπα καὶ ἀκροαματικά*, nec *διαλογικὰ καὶ ἐξωτερικά* excitantur, quamquam librorum in esotericos et exotericos distributio in capite sexto occurrit. Praeterea librorum *συνταγματικῶν* apud Alfarabium nulla fit mentio. Ceterum in ultima huius capitis parte, ubi de libris logicis quaeritur, *Ammonius* iterum plane cum Alfarabio conspirat. Quum vero idem *Ammonius* omnium, quos saepissime excitavimus, commentatorum vetustissimus sit, hoc ad firmandam meam sententiam supra expositam non paulum facit: probabile nimirum fit, (ut iterum repetam,) Alfarabium iisdem, quibus posteriores commentatores usum fuisse interpretationibus, eum autem illas excerpsisse, posteriores contra Graecos commentatores illas suis ipsorum placitis ditasse.

Doctrinam de rebus theologicis Metaphysicen esse, exponatur non oportet, quum hanc ab antiquioribus ita nuncupatam fuisse omnibus constet. Eodem modo Aristoteles etiam Metaphysicen vel *τὴν πρώτην φιλοσοφίαν* vel *θεολογικὴν* appellavit.

تذاكير *commentarii*, quos Graeci *ὑπομνηματικά* appellant, ab *Ammonio**) et *Simplicio***) eodem, quo ab Arabe nostro, definiuntur modo. Ille enim dicit: *ὑπομνηματικὰ ὅσα πρὸς ὑπόμνησιν οἰκείαν καὶ πλείονα βάσανον συνέταξεν ὁ φιλόσοφος.*

Libros خاصية *peculiares*, *μονοειδῆ*, et عامية *generales*, *ποικίλα*, Graeci iterum perinde atque Alfarabius describunt. *Ammonius* (l. l.) μον... inquit, *ἔ εγον, ἐν οἷς περὶ ἑνὸς μόνου πράγματος ἀπεσημειοῦντο . . . ποικίλα, ἐν οἷς περὶ πλειόνων ἀπεσημειοῦντο πραγμάτων.* — Scripta

---

*) Ed. Ald. pag. 7 in fin.
**) Ed. acad. Berol. pag. 24. not.

de ratiocinatione et demonstratione Arabs (ut iam supra monuimus,) in libros *ἀναλυτικῶν* et *ἀποδεικτικῶν* digessit, quo nomine analytica priora et posteriora apud ipsum Aristotelem et antiquissimos interpretes audiebant. *Galenus* *ἐπιγράφουσι*, inquit, *δ' αὐτὰ σχεδὸν ἅπαντες οἱ νῦν Ἀναλυτικῶν προτέρων, ὥσπερ καὶ δευτέρων. Τὰ δὲ περὶ ἀποδείξεως αὐτὸς ὁ Ἀριστοτέλης τῶν μὲν προτέρων ὡς περὶ συλλογισμοῦ γεγραμμένων μέμνηται, τῶν δὲ δευτέρων ὡς περὶ ἀποδείξεως.*

In fine huius capitis scripsimus كتابه فى صناعة contra auctoritatem codd. qui من صناعة praebent. Quodsi rationem habemus antecedentium verborum exspectandum est: فيتعلم من كتابه فى صناعة المغالطين. Sed ita quoque lectio recte se habet.

Cap. III.

Omnes iterum commentatores *Ammonius*, *Simplicius*, *Davides*, *Philoponus* in exponendo hoc capite cum Alfarabio, quod res ipsas attinet, plane congruunt, quamquam placita sua alio, atque Arabs, ordine praecipiunt. Solius ergo *Davidis* locos Alfarabii verbis simillimos afferre liceat**). *οἱ μὲν γὰρ ἔλεγον ὅτι δεῖ ἀπὸ τῆς φυσικῆς ἄρξασθαι, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς λογικῆς, ἄλλοι δὲ ἀπὸ τῆς ἠθικῆς, ἕτεροι δὲ ἀπὸ τῆς μαθημματικῆς.... τῶν δὲ Πλατωνικῶν οἱ μὲν ἀπο τῆς ἠθικῆς, οἱ δὲ ἀπὸ τῶν μαθηματικῶν.. καὶ πάντες τὰς οἰκείας δόξας κατεσκεύαζον· οἱ γὰρ λέγοντες, ὅτι δεῖ ἀπὸ τῆς ἠθικῆς ἄρχεσθαι, ἔλεγον ὅτι δεῖ πρότερον κοσμῆσαι τὰ ἤθη προκαθαίροντας τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν μοχθηρῶν ἠθῶν .... οἱ δὲ ἀπὸ τῆς φυσικῆς λέγοντες δεῖν ἄρχεσθαι ἔλεγον ὅτι τὰ φυσικὰ μαλακώτερά εἰσιν... οἱ δὲ λέγοντες ὅτι δεῖ ἀπὸ τῶν μαθηματικῶν ἄρχεσθαι φασὶν ὅτι δεῖ ταῦτα πρῶτον ἀναγινώσκειν διὰ τὸ θάῤῥος τῶν ἀποδείξεων... καὶ διὰ Πλάτωνα ἐπιγράψαντα πρὸ τοῦ μουσείου „ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω.“*

Vocabulum هندسة proprie quidem solam geometriam significat, in his autem commentationibus mathematicen in universum denotare videtur.

---

*) *Fabricii* bibl. Gr ed. 4. Vol. III, pag. 214.

**) ed. Berol. pag. 25, col, 2. l. 34, seqq.

Multum haesitavi in explicandis vocabulis: واما بوايتس الذى من اهل صيداء فيرى deinde: واما انرونيقس تلميذه, quae in utroque codice quam maxime depravata sunt. Sic enim ibi leguntur: واما توانيس التى (sic) من اعل مندا فيرى.... واما ايرونيس تلميذه Postquam vero *Ammonii* *) et *Davidis* **) commentarios in categorias legi, dubium relinquitur nullum, quin, quemadmodum imprimi curavimus, legendum sit. *Andronici* nomen ab Arabibus plerumque, et rectius quidem, scribitur اندرونيقس, sed, ne nimis mutarem, literam د inserere nolui, praesertim quum Arabes in describendis Graecis nominibus saepenumero non literas ipsas depingant, sed similem tantum sonum imitentur. At iam alia exoritur quaestio *Andronicus* nimirum ab *Ammonio* praeceptor *Boethi Sidonii*, ab Alfarabio contra eiusdem discipulus nominatur. En integrum *Ammonii* locum: *Βόηθος μὲν οὖν φησι, Σιδώνιος, δεῖν ἀπὸ τῆς φυσικῆς ἄρχεσθαι πραγματείας, ἅτε ἡμῖν συνηθεστέρας καὶ γνωρμίου. δεῖ δὲ ἀεὶ ἀπὸ τῶν σαφεστέρων ἄρχεσθαι καὶ γνωρίμων. ὁ δε τούτου διδάσκαλος Ἀνδρόνικος, ὁ Ῥόδιος, ἀκριβέστερον ἐξετάζων, ἔλεγε χρῆναι πρότερον ἀπὸ τῆς λογικῆς ἄρχεσθαι, ἥτις περὶ τὴν ἀπόδειξιν καταγίνεται. κ. τ. λ.* Idem testatur *Strabo* ***), qui, se cum *Boetho Sidonio*, *Andronici Rhodii* discipulo, philosophiae Aristotelicae operam navasse, fatetur. In eundem, in quem Arabs noster, errorem incidit *Menagius* †), qui *Boethum Sidonium Andronici Rhodii* praeceptorem fuisse affirmat, quamquam paulo post *Ammonii* locum, modo allatum, disertis verbis descripsit. Ceterum cf. de *Andronico Rhodio* Fabricii bibl. Graec. vol. II, pag. 378.

Cap. IV.

In statuendo summo philosophiae fine omnes posteriores Graeci commentatores cum Alfarabio faciunt, et apud omnes studium Platonicam cum Aristotelica

---

*) Ed. Ald. pag. 8.
**) Ed. acad. Berol. pag. 25 col. II. l. 41.
***) Lib. 16 pag. 757.
†) Observat. in Diog Laërt. lib. VII, 143.

doctrina consociandi aperte manifestatur. *Ammonius**) τί δὲ, inquit, τὸ τέλος ἐστὶ τῆς Ἀριστοτελικῆς φιλοσοφίας; φαμὲν ὅτι, γνῶναι τὴν πάντων ἀρχὴν, τὴν τῶν πάντων δημιουργὸν αἰτίαν, τὴν ἀεὶ καὶ ὡσαύτως ἔχουσαν. ἀποδείκνυσι γὰρ πάντων ἀρχὴν καὶ ἀσώματον, ἐξ ἐκείνης δὲ τὰ πάντα παράγεσθαι. Idem fere statuit *Davides***), et *Philoponus* ait: καὶ λέγομεν ὅτι τὸ ἀνεχθῆναι ἐπὶ τὴν κοινὴν ἁπάντων ἀρχὴν καὶ γνῶμαι ὅτι μία ἐστὶν αὕτη ἀσώματος ἀμερὴς ἀπερίληπτος ἀπεριόριστος ἀπειροδύναμος αὐτοαγαθότης***). Opus a philosopho annitendum Arabs ipsis Platonis verbis exposuit. Hic enim: φυγὴ δὲ (ἐνθένδε ἐκεῖσε), ait, ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι†).

Cap. V.

Ammonius in recensenda via, quam philosophiae studiosus inire debeat, cum ceteris interpretibus, qui plus minusve inter se conspirant, haud plane consentit. *Philoponus*††) hoc caput absolvit hisce verbis: Πέμπτον ἐπὶ τούτοις ζητήσωμεν τίνα τὰ ἀνάγοντα ἐπὶ τὴν εἰρημένην ἀρχὴν ἡμᾶς, ἥτις ἡμῖν ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους φαίνεται φιλοσοφίας. καὶ λέγομεν ὅτι πρῶτον μὲν ἡ ἠθικὴ πραγματεία, ἔπειτα μετ' ἐκείνην ἡ περὶ τῶν φυσικῶν, καὶ οὕτως ἡ μαθηματική, καὶ ἐσχάτης ἐπὶ τούτοις ἀντιληψόμεθα τῆς θεολογίας. Cetera, quae Alfarabius refert, cum alio *Ammonii* loco satis accurate conveniunt. Hic enim in libro, supra laudato†††), habet haec: Καθόλου γὰρ, τῆς μὲν θεωρίας τὸ τέλος, γίνεται ἀρχὴ τῆς πράξεως· ἔμπαλιν δὲ, τῆς πράξεως τὸ τέλος, ἀρχὴ τῆς θεωρίας.

Cap. VI.

Quae iam antiquissimis temporibus praesertim inter Neoplatonicos divulgabantur de Aristotelis doctrina arcana sententiae, ita explosae sunt, ut nostra aetate nul-

*) Pag. 8, b.
**) Pag. 26. col. I, l. 13.
***) Pag. 36. col. II. l. 8.
†) Plat. opera ed. Steph. Theaet. pag. 176.
††) Pag. 36. col. II. l. 15.
†††) Pag. 12.

lum hac de re moveri possit dubium. Quae autem veteres scriptores de libris Aristotelis exotericis esotericisque statuerunt non plane ad liquidum perducta sunt, quamquam recentiores de hoc argumento quaestiones multa cum veritatis specie probavere, hanc librorum differentiam non ad ipsam Aristotelis doctrinam spectare, sed esotericos esse libros ab ipso Aristotele nondum prorsus elaboratos, exotericos contra aut tales, quos Stagirita ipse plane absolverit, aut qui res tum ab universa philosophia, tum a certa quadam disquisitione alienas exponant*). Quas igitur in diversis Aristotelis libris diversas loquendi generis species statuunt commentatores, eapropter sunt obviae, quia alii libri difficiliores quaestiones philosophicas fusius et clarius expediunt, sive, uti *Cicero* ait, „populariter scripti" et perfectius elaborati sunt: alii contra res tractandas minus dilucide et brevius absolvunt, quandoquidem rei summam tantum designant. —

Nec *Ammonius*, qui in ceteris capitibus exponendis Alfarabio simillimus deprehenditur, nec *Simplicius* hanc Aristotelicae dictionis in tria loquendi genera distinctionem commemorat. Quum illi vero in universum et obiter tantum hoc caput absolverint, illis dictionis in tres species distributionem ignotam fuisse non sequitur. Ceteri commentatores cum Alfarabio satis accurate conveniunt, quam ob rem unum omnium *Philoponum* audiamus**): *Ἕβδομον ἡμῖν προκεῖται τί τὸ εἶδος τῆς ἀπαγγελίας τῶν Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων. καὶ λέγομεν ὅτι διαφερόντως ὁ φιλόσοφος ἑρμηνεύσας φαίνεται. ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἀκροαματικοῖς κατὰ μὲν τὰ νοήματα πυκνός ἐστι καὶ συνεστραμμένος καί ἀπορητικός, κατὰ δὲ τὴν φράσιν ἀπέριττος... ἐν δὲ γε τοῖς διαλογικοῖς, ἃ πρὸς τοὺς πολλοὺς αὐτῷ γέγραπται, καὶ ὄγκου φροντίζει τινὸς καὶ περιεργίας λέξεων καὶ μεταφορᾶς, καὶ πρὸς τὰ τῶν λεγόντων πρόσωπα σχηματίζει τὸ εἶδος τῆς λέξεως, καὶ ἁπλῶς ὅσα λόγου οἶδε καλλωπίζειν ἰδέαν. ἐν δὲ ταῖς ἐπιστολαῖς φαίνεται κατωρθωκὼς τὸν ἐπιστολιμαῖον χαρακτῆρα, ὃν*

*) Cf. cl. *Brandisii* diss. l. l. pag. 254. et *Stahrii* Aristotelia vol. II. pag. 239 seqq.

**) L. l. pag. 36, col. II, l. 23.

καὶ σύντομον εἶναι δεῖ καὶ σαφῆ καὶ ἀπηλλαγμένον πάσης περισκελοῦς συνθέσεώς τε καὶ φράσεως.

Libri ab Arabe تفاسير nominati iidem sunt, quos Graeci *διαλογικοὺς καὶ ἐξωτερικούς*, Cicero (l. l.) et alii *commentarios* vocant, qui igitur distinguendi sunt a libris تذاكير, *ὑπομνηματικοῖς*, in capite secundo memoratis. Ad epistolas Aristotelis, de quibus consulendus est *Stahrii* lib. laud.*) veteres scriptores praecipue referebant librum *de mundo*, quem recentiores viri docti imprimis *Osannius***) non solum ab epistolarum numero excludendum, sed etiam spurium et Chrysippo vindicandum esse summa cum probabilitate ostenderunt. Ceterum observandum est, nonnullas, quae a nobis desiderantur, epistolas, vulgo Aristoteli tributas, in scriptis Arabicis adhuc deprehendi***).

Cap. VII.

De causis, cur Aristoteles intellectu difficillima adhibuerit, omnes Graeci interpretes satis accurate cum Alfarabio consentiunt, licet hic ab *Ammonio* et *Simplicio*, quod verba attinet, magis quam a ceteris discedat. *Philoponus* (l. l.) pergit: *Ἀριστοτέλης προκαλύμματι τῆς αὐτοῦ φιλοσοφίας κέχρηται τῇ ἀσαφείᾳ, ἵνα οἱ μὲν σπουδαῖοι δι' αὐτὸ τοῦτο μᾶλλον ἔτι τὰς ἑαυτῶν συντείνωσι ψυχάς, οἱ δὲ ῥαθύμως τε καὶ χαύνως τοῖς τοιούτοις προσιόντες λόγοις ὑπὸ τῆς ἀσαφείας διώκωνται. κ. τ. λ.* Magis etiam similia sunt *Davidis* †) verba: *ἐπετήδευσε δὲ αὐτὴν* (*ἀσάφειαν* sc.) *διὰ τρεῖς αἰτίας. ἢ γὰρ κρύψεως χάριν ἢ δοκιμασίας ἢ γυμνασίας. κ. τ. λ.*

Cap. VIII.

Fusius quam Graeci, quos saepe memoravimus, disputat Alfarabius de vitae conditione, in qua et studiosus et doctor philosophiae versetur oportet. Iam

---

*) Vol. I. praef. XVI. pag. 189. seqq. et vol. II. pag. 169 seqq.
**) Cf. *Osannii*, Beiträge zur Griech. u. Röm. Lit. Gesch. pag. 143. seqq.
***) Cf. Casiri I pag. 308.
†) Pag. 27. col. I. l. 19.

supra monuimus, Graecos hoc caput in duas partes digessisse, ita ut tota commentatio in decem distributa sit capita. *Philoponi* verba haec sunt*): καὶ λέγομεν ὅτι τὸν πεπαιδευμένον τὰ ἤθη καὶ τὴν ψυχὴν κεκαθαρμένον. κ. τ. λ. *Davides**) ἔστω τοίνυν, inquit, ὁ μὲν ἀκροατὴς κατὰ τὴν ζωὴν τεταγμένος καί μικρὸς κόσμος, ἵνα διὰ μὲν τῆς ἐν αὐτῷ τάξεως τὴν μίαν τοῦ παντὸς ἀρχὴν γνῷ... δεῖ τὸν ἐξηγητὴν μὴ ἐκ παντὸς τρόπου βιάζεσθαι καὶ λέγειν ὅτι πάντως ἀληθεύει ὁ ἀρχαῖος ὃν ἐξηγεῖται, ἀλλὰ πανταχοῦ ἐπιλέγειν „φίλος ὁ ἀνήρ, φιλτέρα δὲ ἡ ἀλήθεια." δεῖ αὐτὸν μὴ συμπάσχειν αἱρέσει τινί. κ. τ. λ. — Quae ad doctorem philosophiae attinent, *Philoponus* iterum eodem modo exponit***).

Cetera, quae sequuntur, apud nullum interpretem Graecum legi; nihilo minus tamen non credo, haec ab Alfarabio ipso addita esse, quum solum, quod de aquae gutta laudat, proverbium iam satis doceat, omnia ex Graecis libris in suum irrepsisse. Nam notissimus est Galeni versus:

„Κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ."

„Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo"
Quam eandem sententiam praeclare Ovidius expressit:
„Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?
»Dura tamen molli saxa cavantur aqua †).«

Cap. IX.

Sub hoc caput *Philoponus* ceterique commentatores sex tantummodo referunt res ante philosophiae studium necessarias. *Ammonius*, cum quo *Simplicius* et *Davides* plane conspirant, haec habet ††): Πασῶν δὲ τοῦ Ἀριστοτέλους πραγματειῶν τὰ προλέγεσθαι ὀφείλοντα εἰσὶ ταυτὶ κεφάλαια. ὁ σκόπος, τὸ χρήσιμον, αἰτία τῆς ἐπιγραφῆς, εἰ γνήσιον του φιλοσόφου τὸ βιβλίον, ἀναγνώσεως τάξις καὶ διαίρεσις. Loquendi igitur generis notitia excepta illi omnes cum nostro Arabe plane conveniunt. *Philoponus* contra

---

*) Pag. 36. col. II. l. 19.
**) Pag. 26 col II, l. 6.
***) Pag. 37. col l. l. 27.
†) Cf. Erasmi adagia et Burmann. ad Ovid. Pont. 4, 10, 5.
††) Ed. Ald. pag. 9, b.

τὴν εἰς τὰ κεφάλαια διαίρεσιν omisit, atque eius loco τὴν λέξιν subiunxit, cuius etiam *Davides* meminit, licet eam non annumeret sex rebus necessariis. Dicit nimirum in subsequentibus: τὸ δὲ τίς ὁ τρόπος τῆς διδασκαλίας οὐ ζητοῦμεν, ὡς καὶ αὐτοῦ ἀνωτέρω εἰρημένου, ὅτε ἐζητοῦμεν τί τὸ εἶδος τῆς φράσεως τοῦ Ἀριστοτέλους.*) Videri igitur potest, Alfarabius utrisque commentatoribus collatis sex necessariarum rerum loco commemorasse septem, nisi, quod iterum monemus, cuncti scriptores ex alio vetustiore omnia sua hauserint. —

Secunda huius capitis pars ad *Ammonii* ceterorumque exemplum solam primam rem necessariam, logicen, fusius dilucidat. Qui ibi vocantur للحدود et الاشكال, sunt *termini* et *figurae* syllogismi, quod notandum est, quum Graeci non hos tanquam ultimas orationis partes, sed τὰς ἁπλᾶς φωνὰς et τὰ στοιχεῖα statuerint, a quibus omnem artem dialecticam incipiendam esse docuere.

Avicennae
de logica poema.

Quamquam non dubito, quin multis, doctrinam, tum a poesi, tum ab omnibus, quae eo spectant, rebus, alienissimam, poetico vestitu et habitu indui, singulare quoddam, ne dicam, ineptum videatur: aequi tamen iudices perlecto poemate (si tali nomine dignum est,) facile intelligent, hoc ipsi doctrinae non detrimento fuisse, quum tota commentatio non solum omni poetico colore destituta, sed vulgari oratione soluta etiam nudius et inertius composita sit. Nemo quidem eorum, qui vel ipsi operam navent orientalium populorum li-

*) Pag. 28. col II. l. 4.

teris, vel earum saltem indolem quodammodo habeant perspectam et cognitam, valde mirabitur, doctrinam logicam versibus traditam esse, quum Arabes non minus quam alii populi orientales de grammatica, metrica, arithmetica, medica, aliis eiusdem generis disciplinis et artibus praecepta et placita sua ad numeros exigere saepissime conati sint. Nonnulli populi v. g. Indi in componendis huius modi praeceptivis, quae vocantur, carminibus simplicius et expeditius versari possunt, quia partim dicta sua slocorum, quibus in hoc poesis genere semper utuntur, metro levi accommodant negotio, partim vero similem clausularum sonum captare non student. Eo magis igitur Arabum in tractando sermone patrio exercitatio miranda est, quippe quum non nisi ea metra adhibeant, quae in quaque sede firma sunt et praeterea versus, quin simili cadant exitu, perraro publici iuris faciant. Nihilo minus nemo sane credet, inter talium carminum auctores exstitisse viros, vel ingeniosa et sublimia fingendi facultate, vel orationis elegantia et suavitate, vel alia poetica virtute eximios: omne enim illorum studium in eo positum fuit, ut simplices artis vel doctrinae, quam argumento sibi sumpserant, regulas et leges numeris includerent, unde licentiarum, quas ceteri poetae interdum sibi permisere, frequentior usus necessario sequebatur. Attamen didacticorum poematum auctores ea, quae ipsis licita erant, multo rarius, quam fortasse credideris, adhibuere. — Sed nostrum poema hoc respectu iam accuratius consideremus.

Metrum, ad quod Avicennae de logica poematium compositum est, et quo Arabes saepissime utuntur, vocatur رجز. Cl. *Freytagius**) de natura et proprietatibus huius metrorum schematis docte, ut solet, et fuse disseruit. Integer versus, omnibus numeris absolutus, duo ternorum pedum hemistichia continet, hoc modo constituta:

— — ∪ — | — — ∪ — | — — ∪ —
— — ∪ — | — — ∪ — | — — ∪ —

*) Ars metrica pag. 230 seqq.

Auctor noster haud raro secundam primi generis speciem adhibuit hoc modo comparatam:

— — ◡ — | — — ◡ — | — — ◡ —
— — ◡ — | — — ◡ — | — — —

Saepissime autem ea versus pars, quam Grammatici عروض vocant, i. e. primi hemistichii pes tertius, مُسْتَفْعِلُنْ (— — ◡ —) in مُسْتَفْعِلْ sive مَفْعُولُنْ (— — —) mutata est, ita ut hoc oriatur schema:

— — ◡ — | — — ◡ — | — — —
— — ◡ — | — — ◡ — | — — —

In conficiendis ceteris pedibus, omnes, quae in hoc metro poetis relictae sunt, et quas *Freytagius* **) enumeravit, licentias Avicenna in suum usum convertit.

Praeter hanc huius commentationis metricam formam et constructionem, qualem oratio pedestris respuit, haud raro inversam, noster libellus, ut supra iam diximus, nil, quod poeticum colorem sapiat, continet. Nihilo minus metrorum in talibus argumentis usum meris nugis et futilibus ineptiis niti credere noli. Oratione enim numeris ligata duplex efficitur commodum. Primum nimirum, quod ipse Avicenna vs. 36. nostri poematis causam declarat et quod omnes memoriales, quos vocant, versus spectant, argumentum metris ligatum memoriae facilius mandatur meliusque retinetur: deinde sermo metris accommodatus talem efficit brevitatem in dicendo et concinnitatem, qualem oratio soluta in universum, nedum ea, quam Arabes elegantem habent, oratio soluta assequi potest. In disciplina vero, qualis est logica, nil maiorem afferre utilitatem, quam si res explicanda oratione, qua fieri potest, brevissima enunciatur, nemo profecto negabit. Quodsi aequalem in vertendo brevitatem attingendi haud studiosus nimis fuse interdum sim versatus, atque minus recte egisse videar, quum, sensum magis perspicuum reddendi gratia, non semel vocabula, uncis inclusa adiecerim, excusationem non quaeram, quandoquidem non

*) l. l. pag. 232.

dictionem imitari, sed auctoris mentem reddere meum esse censui.

Praeter hoc poematium plura carmina praeceptiva composuit Avicenna. *Casirius* *) commemorat aliud eiusdem auctoris poema logici argumenti, quod inscribitur: قواعد المعانى et **) القصايد فى العظة والحكمة —

De causa et fine huius commentationis ipse auctor in isagoge satis fuse disputavit, quapropter, hoc poematium non ex praestantissimis Avicennae de logica operibus esse, supervacaneum videtur monere. Praeter plures de singulis logices partibus minus copiosas dissertationes praecipuus de hac doctrina liber inscriptus est: الاشارات الى علم المنطق sive الاشارات فى المنطق qui ab Arabibus plerumque simpliciter الاشارات i. e. *declarationes* nominatur, et saepius scholiis illustratus est ***). Avicennae libri philosophici, qui eius Canonis editioni †) annexi sunt, praeter Physicen et Metaphysicen etiam Logicen continent, haec autem inscripta est اصول المنطق „fundamenta Logices." Quum Arabes omnes fere etiam levissimi momenti libros, ab illustri quodam viro conscriptos, commentariis instruere mirandum in modum studerent, singulare sane foret, si nostrum poematium Scholiastae intactum reliquissent. Atqui hoc non factum, nam Casirius ††) *explanationem* eius commemorat, cuius tamen neque auctorem, neque rationem accuratius exponit.

Dei et prophetae laude satis prolixe exposita Avicenna ad ipsum argumentum transit in versu 9 et 10, qui paulo intricatiores sunt. Vocabulum لله, ne metrum sit mutilum, duabus proferendum est syllabis. Intellectus, qui in his et subsequentibus versibus summa

*) Casiri Vol I. pag. 181. col. 2.

**) Ibid. pag. 272.

***) Ibid. pag. 181 et 272.

†) Romae 1593.

††) Vol. I. pag. 181.

sponsionem complectitur hunc in modum: „*Cur vero distributionem (accidentium) commemoravisti? ut quinque voces integrae efficiantur.*

66. Versus significare videtur, genus non minus quam species in rei cuiusdam materia versari, hasque notiones non nisi eo inter se differre, quod altera maiorem, altera minorem earum rerum comprehendit copiam.

67. Verba: ونعه ما هو ita sunt construenda: ومن الذاتي ما هو يكون حقا في جواب الأي cf. v. 60.

69. Accidentium duplex genus Arabs non quidem diserte exposuit, sed ex allatis exemplis patet, eum vulgarem afferre voluisse distinctionem, quam etiam Porphyrius*) statuit: τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ χώριστόν ἐστι· τὸ δὲ ἀχώριστον. Ex paucis vero, quibus Avicenna usus est, verbis elucere videtur, eum τὸ ἴδιον tanquam subordinatam accidentis speciem considerasse, ita ut ex eius sententia revera quatuor tantum exstent voces simplices. Sed eadem confusio apud Porphyrium quoque deprehenditur, ac necessaria est, si, quam Porphyrius et ceteri statuerunt differentiam inter τὸ ἴδιον et τὸ συμβεβηκός, probabilem existimas.

70. Contra regulas, a Grammaticis propositas**), nostro loco vocabulum خاصة et prioris et posterioris hemistichii homoeoteleuton explet; hanc autem licentiam carminum didacticorum auctores saepius sibi sumpsere. Attamen notandum est utriusque hemistichii خاصة non omnino idem esse vocabulum, quippe quum priori loco adiectivi, posteriori autem substantivi notionem et formam teneat. — Secundi hemistichii vocabulum بعه, quod codex praebuit, mutavimus in ىعه, licet فيه quoque explicari possit: ويبدي خاصة فيه.

71. Vocabulum قفنس, quod in lexicis adhuc desideratur, Graecum κύκνος esse, nemo non videt, praecipue quum Aristoteles et qui eum sequuntur, eadem occasione data eandem vocem tanquam exemplum adhibeant. Cf. v. g. Analyt. I. cap. 4, 13.

---

*) Isagoge cap. 5.

**) Cf. *Freytagii* ars metrica pag. 325.

75. In exponendis prædicamentis Avicenna mera affert categoriarum nomina, paucis illustrata exemplis, quae tamen ita comparata sunt, ut ne integram quidem categoriarum vim ex illis possis perspicere. Ita v. g. omnia, quae ad qualitatem referuntur exempla, non nisi ad *ποιότητας παθητικάς* spectant. — Ceterum conferatur Aristotelis categoriarum caput quartum, quod nostro loco ad verbum fere est repetitum.

76. Definitio substantiae recta est, licet non satis clare prolata, nam substantia obiecti cuiusdam id est, quo sublato ipsum obiectum tollitur. Idem Arabs exemplis suis, ut quisque videt, docere voluit.

88. Definitio situs, quam Avicenna affert, obscuritate quadam laborat; sed ex eius verbis qualibuscunque satis patet, eum Aristotelis verba (categ. 5) respexisse: *τὸ δὲ ἀνακεῖσθαι, ἢ ἑστάναι, ἢ καθῆσθαι, αὐτὰ μὲν οὔκ εἰσι θέσεις, παρωνύμως δὲ ἀπὸ τῶν εἰρημένων θέσεων λέγεται.* Hoc nimirum *παρωνύμως λέγειν* convenit Arabico verbo نسب.

89. Prioris hemistichii vox اماكنا in codice perperam scripta est امكانا

92. Quam Aristoteles praecipue in libro *de interpretatione* fuse exposuit doctrinam propositionum, Avicenna triginta septem tantum versibus absolvere conatus est, quapropter non mirandum, eum non res ipsas, sed verba potius explicavisse. Propositionum igitur quantitas, qualitas et modalitas, quam vocant, potius indicatae, quam expositae sunt. Ceterum notanda est participii قابل constructio, quandoquidem alterum nomen rectum cum praep. ل, alterum cum acc. sequitur.

97. Propositionis nomen جازم ad sensum tantum vertimus: *enunciatio*, quum Latinum, huic accurate respondens vocabulum nesciamus. جازم in sensu grammatico vocem, quae sequens futurum apocopatum postulet, denotat*), a qua notione haud prorsus alienam significationem habere videtur nostro loco, quum ex mea quidem sententia propositionem designet per sese haud absolutam, sed subsequentibus accuratius definiendam.

101. Metri gratia ante شمس articulus omissus est.

*) Cf. cl. De Sacy gram. arab. II. pag. 34 et Freytagil lex. s v.

103. Formulam تاحدة فصاعدا vere Arabicam „coniuncta sunt etiam atque etiam“ iam cl. *Freytagius* s. v. صعد Kamusi verbis illustravit.

111. „Aut partem tantum essentiae notionis exprimit.“ Vix opus est monere, *integram* essentiam, quam allato exemplo Avicenna intelligat, esse *homines*, quorum individuum unum, Zeidum, propositio singularis designet.

119. De vocabulo عدل, quod *tabellionem publicum* significat, fusius iam disputavit De Sacyus (chrest. Arab. I. pag. 38) et *Freytagius* s. v.

122. Hoc versu in universum repetuntur, quae singula inde a versu 118 exposita sunt. Etenim propositio definita 1° aut universe, 2° aut particulatim affirmat, 3° aut universe, 4° aut particulatim negat.

123. Vocabulum السور interpretatus sum: »signum quantitatis«, quam notionem sensus postulare videtur. Quo in sensu plane mecum facit liber تعريفات, cuius definitio disertis verbis haec est: السور في القضية هو اللفظ الدال على كمية افراد الموضوع i. e. »Vocabulum السور exprimit in iudiciis singulorum subiectorum quantitatem.« Eodem fere modo Avicenna (log. ed. Rom. pag. 4) hoc vocabulum explicat: السور هو اللفظ الذى يدل على مقدار الحصر مثل كل ولا واحد وبعض ولا كل i. e. »السور vocabulum est, quod definitam quantitatem designat v. g. omnis, nullus, aliquis, non omnis.«

124. Octo, quae enumerantur, propositionum genera haec sunt: duo singularia, sive, ut auctoris nostri exemplis utamur: 1. Zeidus est creatura, 2. Zeidus non est creatura; duo deinde indefinita, scilicet: 3. homo incedit, 4. homo non incedit; tum quatuor definita, a nobis ad vs. 122. iam exposita.

126. Propositionum modalitas tribus tantum, qui sequuntur, versibus indicatur.

129. Quae *de oppositis* ab Aristotele in categoriarum libro cap. 8. et περὶ ἑρμηνείας 6—10 praecepta sunt, noster quatuor versibus absolvit. Quatuor modi, secundum quos ex Aristotelis sententia alterum enunciatum alteri oppositum est, ab Avicenna non memorantur, utpote qui duos tantum attulerit modos, con-

tradictoriam et contrariam oppositionem: ex his tamen iudicia subcontrarie et per aequipollentiam opposita facili negotio derivari possunt.

13. Vocabulum جزء, proprie *partem* significans, interpretati sumus: *distributionem*, quum enunciatorum *partes* versu antecedente iam sint commemoratae.

133. Brevissimis verbis, ut solet, adumbravit auctor noster regulas conversionis, in quibus praecipue notandum est, nullius distinctionis inter conversionem per accidens mentionem factam esse. Hac eadem de causa dixit Avicenna vs. 137 recte, enunciata particulatim affirmantia non minus quam universe affirmantia fieri particulatim affirmativa.

140. Auctor iam transit ad doctrinam syllogismi, in quo, definiendo et in cuius partibus enumerandis atque nominandis satis accurate cum ipso Aristotele conspirat, qui in primo Analyt. prior. libro cap. 1. eadem fere praecepta exposuit. Sicut Aristeteles primique Peripatetici, ita Avicenna quoque tres tantum syllogismi figuras ratas habet, quod memoratu dignum, quum hac re quodammodo probetur, Avicennam in philosophia tam serviliter Galenum non secutum fuisse, quam hunc in medicina imitatus esse fertur. Omnibus enim notissimum est, syllogismi figuram, quam quartam vocamus, a Galeno inventam atque in logicam introductam esse.

149. Verbum بقى contra vulgarem a Grammaticis adoptatum usum nostro loco Tayensium more pronunciandum est duabus syllabis.

156. Exemplum ad hanc figuram ab Avicenna prolatum secundum vulgarem nostram distributionem non ad primam, sed ad quartam figuram pertinet. Attamen iam supra monuimus, hanc utramque figuram apud Avicennam unam eandemque esse, quo fit, ut etiam hoc exemplum recte se habeat.

157—159. Codicis verba ita fuerunt depravata, ut ambos hos versus insolenti quodam modo mutare in religionem non verterim. Vs. 157. sic fuit exaratus: وبعده ان يوضع الحدان له وهذا الشكل يدعى الثاني vs. 159. in codice hunc in modum legitur: وبعده ان يجعل الحدان عليه وهو ثالث المبانى Avicenna, si eum quidquam sapi-

visse credimus, res ita confuse et perverse tractare non potuit. Ille enim figuram, quam vulgo secundo loco ponimus, non solum tertiam ordine enumeravit et ratione inversa, sed exempla etiam, quae utriusque figurae illustrandae causa attulit, omnino falsa essent, si codicis teneremns lectionem. Praeterea idem auctor in logica, quae inscribitur اصول المنطق*) tres syllogismi figuras recte exposuit, quandoquidem dicit: والحد الاوسط ان كان محمولا فى مقدمة موضوعا فى الاخرى سمى ذلك الاقتران شكلا اولا وان كان محمولا فيهما سمى شكلا ثانيا وان كان موضوعا فيهما سمى شكلا ثالثا „Si terminus medius praedicatum est unius et subiectum alterius praemissae, vocatur haec coniunctio figura prima: si praedicatum est utriusque enunciati, appellatur fig. secunda: fig. tertia, si utriusque propositionis est subiectum.« Transposuimus propterea verba يوضع. et يحمل, deinde mutavimus versus 157. vocabula: وهذا له in عليه هذا et versus 159 وهو عليه in وهذا له.

Quodsi ex allato exemplo conclusionem efficeres, haec contra tertiae figurae regulas peccaret, quum propositio minor sit negativa. Sed cave, ne propterea versum nostrum corruptum esse statuas. Nam Avicenna non perfectum syllogismum proponere, sed subiecti et praedicati tantummodo constructionem et sedem hoc exemplo illustrare voluit.

161: Verba »sive praedicatum sive subiectum continet« diversos figurae primae modos, sive, ut veteres dialectici loquebantur, primae figurae modum directum et indirectum designant, quemadmodum iam supra indicavimus. Quando enim modus directus adest, figura exoritur nobis quarta: quando indirectus modus deprehenditur, figura nobis prima efficitur.

168. Codicis lectionem او كان mutarimus in لو كان.

169. Regulam hoc versu expositam de prima et secunda tantum figura valere, auctor ipse in versu subsequente diserte affirmat.

Praeter syllogismos hypotheticos Avicenna in hoc capite syllogismos quoque disiunctivos singulari cum brevitate percensuit, quapropter a re haud alienum

---

*) Ed. Rom. pag. 8.

ximus, singula Avicennae praecepta exemplis adumare nostro more compositis.

172. Exemplum hoc et subsequentibus versibus platum nostrates hunc fere in modum exprimerent:

Si quodque a = b, tum a inaeq. c.
Sed quodque a = b.

Ergo a inaeq. c.

176. Metrum nostri versus non corruptum est, et iusto pluribus syllabis constare videatur. — Avinna, ut supra saepe vidimus, in hoc versu quoe plures sibi permisit contractiones: particula ان cum tecedente لنا pronunciando conflanda et verbum كان a syllaba proferendum est, quo facto versus mibus numeris absolvitur. De huiusmodi licentiis le *Freytagii* artem metr. pag. 517. et locos ibi lautos. — Exemplum quidem hoc modo literis potest cumscribi:

Si a = b, tum a inaeq. c.
Sed a = b.

Ergo a inaeq. c.

178. Regula hac illustratur formula:

Si a = b, tum a inaeq. c.
Sed a inaeq. b.

Ergo: Nil consequitur.

179 seqq. Exempla his literis habes adumbrata:

t a = b, aut a inaeq. b.
1 a inaeq. b.

---

go a = b.

Aut a inaeq. b, aut a = b.
Sed a = b.

Ergo: a inaeq. b.

182 seqq. Aut a = b, aut a = c, aut a = d.
Veruntamen a = b.

Ergo a inaeq. c et a inaeq. d.

184. يكى metri gratia ex يكن saepissime contraur, sed nostro loco articulus subsequitur, ante quem ec contractio alias vitiosa habetur, Cf. cl. *Freytag.* l. pag. 477.

185. En exemplum:
Aut a = b, aut a = c, aut a = d.
Sed a inaeq. b, et a inaeq. c.

Ergo a = d.

187. Exemplum prolatum his literis exprimi licet:
Aut a inaeq. b, aut a = c.
Sed a inaeq. c.

Ergo a = b. Vera enim antecedentis qualitas est a inaeq. b, eiusque oppositum a = b.

190. Inductio ab Avicenna recte quidem, licet non omnino clare, definita est. Ne vero haereas, coniungas, velim, utriusque hemistichii posterioris praecepta, ex quibus haec fere oboritur sententia: Inductio ille vocatur ratiocinandi modus, qui, quod iudicia particularia de multis argumenti cuiusdam partibus praedicant, iudicio universali de omnibus eius partibus exprimit. Qua cum definitione conferas Aristotel. Analyt. prior. II, 25. Eundem sensum indicavit Avicenna in libro اصول المنطق pag. 15.

192, Quod iam de inductione monuimus ad ea quoque spectat, quae de analogia praecepit auctor noster, quam ob causam Avicennae dictis plura uncis inclusa adiecimus. Aristoteles (l. l. cap. 26.) τὸ παράδειγμα eodem fere modo definivit. cf. etiam اصول المنطق l. l. Vocem دليل idem quod Graecorum παράδειγμα notare radicibus verbalibus iam probatur, quum دل aeque ac παραδεικνύναι proprie *monstrare*, *indicare* designet.

Doctrina syllogismorum exposita transit Avicenna ad demonstrationem, de qua Aristoteles in Analyticis posterioribus disseruit. Priusquam autem Arabs placita sua de ipsa demonstratione proponit, ex more Stagiritæ res ante demonstrationis doctrinam cognoscendas hoc capite ad liquidum perducere studet. — Singula principiorum genera non ea ratione enumerata sunt, ut principia unice vera et recta primum aut ultimum locum occupent, sed ita fere, ut auctor in percensendis illis omnino ad arbitrium suum versatus esse videatur. Nam axiomata, sive, ut Avicenna dicit, rationis principia, quae unice vera auctor recte statuit, versu 223.

demum commemorantur et subinde reliqua fallacia enumerantur principia.

199. „Alia ex opinionibus enata sunt.“ Aeque recte et fortasse accuratius etiam vertere potes: alia ex imaginatione enata sunt. Haec iudicia imaginaria, si ita dicere licet, auctor libri تعريفات hunc in modum definivit: الوهميات هى قضايا كاذبة يحكم بها الوهم فى امور غير محسوسة كالحكم بان ما وراء العالم فضاء لا يتناهى والقياس المركب منها يسمى سفسطة. »*Imaginaria* illa nuncupantur enunciata falsa, in quibus imaginatio res diiudicat, quæ non sub sensus cadunt. Huiusmodi iudicium est, quod extra mundum spatium infinitum esse statuit. Syllogismus ex talibus iudiciis compositus appellatur sophisticus.“

201. Posterioris hemistichii constructio quodammodo claudicat, eamque ita solvendam esse existimo: وان يكن موضوعها فى مبدأء الجسوم وفى العموم فى امور الجسوم قائم cet.

210. Secundum hemistichium in codice nostro a priori manu scriptum erat: فليس فى الموجود, quod stylo verso recte emendatum est بالموجود.

213. Vera vocis بديهى notio disertis verbis a cl. *Freytagio* exposita est. بديهى id significat, quod necessarium statim agnoscitur, nostrum: augenscheinlich; ضرورى vero necessarium, quod ex aliis demum colligitur.

219. Me huius versus sensum recte assecutum esse pro certo affirmare non audeo, quum tam paucis verbis absolutus sit, ut, nisi plura verba inseras, versum sensu omnino cassum esse facile credideris. Sententiæ: „Opem praesta fratri, etiamsi iniusto“ sensus hic esse videtur: »Frater et homo iniquus *eodem iure* auxilium tuum possunt implorare.« Cui sententiae refutandae Avicenna ex mente sua addit: »Falsa est haec enunciatio, quandoquidem iniustus, ut ad exitium te perducat, haud raro te ex improviso obruit, quod verus frater nunquam conabitur, quapropter non iniusto sed vero et sincero fratri auxilium praestandum est.« Simili exemplo, cuius sensum non magis perspectum habeo, utitur Avicenna in log. اصول pag. 16. ubi de iisdem syllogismis verba facit. Ibi enim haec leguntur: يجب ان تبصر

اخاك ظالما او مظلوما وليس الشي الواجد ذايعا في البادي بالقياس الى كل سامع بل بالقياس الى نفس نفس

220. Vocabulum مقبولة idem denotare, quod nostrum »Auctoritaetsglaube«, ex definitione videbis, quam liber تعريفات inscriptus disertis verbis exponit*). Pro codicis ترضى sensu flagitante scripsimus يرضى.

222. Me huius versus sensum plane perspectum habere non affirmare possum. Maior Avicennae logica pg. 16. haec habet: مثل اعتقادنا أمور قبلناها عن ايمة الشرايع i. e. „quemadmodum eas credimus res, quas ab antistitibus sacrorum ex traditione accepimus."

226. Definitio principiorum fallacium et syllogismorum sophisticorum, ab ea, quam Aristoteles (Top. I. 1.) proposuit, haud multo discedit. Singulare autem est, his syllogismis ab Avicenna Graecum nomen سفسطة σοφιστής tribui, quandoquidem ab ipso Aristotele eiusque sectatoribus iidem συλλογισμοὶ ἐριστικοί appellabantur. Quid sit argumentatio sophistica *Freytagius*, duce libro تعريفات iam explicavit s. v. Vide etiam notam nostram ad vs. 199. — Ex nostro loco patet, سفسطة non ex auctoritate Graecae linguae pronunciandum esse سَفْسَطَة sed سَفْسَطَة, quemadmodum cod. ms. quoque legit.

230. Verba بلا اشكال „quin figura sensibilis iis respondeat« tum ad iudicia spectant, quae propter auctoritatem loquentis vera habentur, tum ad enunciata ex imaginatione sive opinione enata.

231. Aristotelicam (Analyt. post. I, 13.) demonstrationum distinctionem in ἀπόδειξιν τοῦ ὅτι καὶ τοῦ διότι usurpavit quoque Avicenna, eamque satis luculenter adumbravit.

237. Constructio huius versus hunc fere in modum solvenda est: وبعضه برهان اللما اى اوسطه يفيد علة ما ينتجه.

238. Persicum vocabulum جوزهر » caput et cauda draconis" vox est astronomiae propria et in ecliptica nodum designat ascendentem et descendentem, quem Graeci eodem modo vocant σύνδεσμον ἀναβιβάζοντα καὶ καταβιβάζοντα.

---

*) *Freytagii* lex. s. v. مقبول.

240. علة البيان quocum cf. vs. 236. illud significare videtur, quod ex apparitione et suppositione habetur causa effectus cuiusdam, licet non vera causa sit. بيان per se omne translatum et improprie dictum denotat. cf. *Freyt.* s. v. علم البيان —

241—243. Iusto fusius versatur auctor in exponenda demonstrationum distinctione, quam supra iam innuerat, cui tamen hoc loco nil novi addit.

246. Huius distichi versus in codice transpositi leguntur, sed literis ه et ن ab alio, ut versimile est, librario adscriptis, ordinem restituendum esse iam indicatum est.

249. Sensus huius versus, admodum paucis verbis expressi, quodammodo intricatus est. Constructionem, si fusius indicare vis, hunc fere in modum exhibendam esse censeo: ان ليس يكون حمل اخر علي الاعم قبل من الحمل

260. Doctrina demonstrationis exposita, Avicenna iam ea pertractare, sive potius indicare pergit, quae Aristoteles in libro Analyt. poster. secundo praecepit. Hic quae ibi (cap. I. et II.) de quaestionibus tradiderit, Arabs noster subsequenti capite satis large et clare adumbravit.

Aristoteles (l. l.) statuit, nos quatuor cuiusvis rei quaerere rationes, τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστι. Harum quaestionum tres memorat Avicenna quoque, sed Aristotelis ὅτι »quod« noster cum أي »qualis« commutavit. Haec autem interrogatio, pronomine *qualis* expressa, in subsequentibus versibus ab Avicenna accuratius et fusius non exponitur veluti ceterae quaestiones. Ceterum cf. vss. 60 et 67.

270. Ultimum hemistichium plane est ex mente Aristotelis, qui sexcenties monuit, nos tum demum rem quandam scire, quando primas eius causas perspexerimus.

Qui sequuntur quatuor versus paucis verbis ea indicant, quae Aristoteles in sophisticis elenchis atque in libris de arte rhetorica et poetica fuse et perspicue tractavit. Avicenna, si usquam, certe hoc loco dicendi brevitatem nimis anxie captavit, quum hos versus ambiguitate quadam laborare vix ullus negaverit. Summa

igitur cum dubitatione meam proposui versionem, qua praeterea magis sensum, quam ipsa vocabula Latine reddere studui. Avicenna disputandi, concionandi ceterasque hoc capite expositas artes breviter solum indicat, nec fuse pertractat, quia ea tantum praecipere conatus est dogmata, quae Aristotelis libri Analyticorum continent; libros autem Topicorum omnino neglexit.

Ceterum duo, quae supersunt, capita arctiore quodam vinculo cohaerent, prout ex primis subsequentis capitis versibus videri licet. Probatio nimirum syllogismo indiget; notio contra definitione: in priore ergo capite placita sua profert Avicenna de rebus ad exigendam probationem necessariis; in altera autem et ultima totius commentationis parte de definitione, qua ad notiones planas reddendas opus est, disserit.

272. Quid nostro loco vocabulum اقناع significet indicare non ausus sum, quum notio huic versui plane conveniens in lexicis desideretur.

275. Posterius hemistichium omnino redundat et non nisi versus explendi gratia insertum est, quemadmodum supra vs. 91. Me priorem huius versus partem recte intellexisse non contendam.

276. Postremum caput definitionis doctrinam, quam Aristoteles in libro secundo Analyt. poster. absolvit, complectitur, atque satis clare hoc argumentum pertractat. Distinctio quoque, quam Avicenna inter definitionem statuit et descriptionem, omnino probanda est.

281. جادة proprie *viam regiam* (Hauptstrasse) significat, ita ut *ex modo vulgari*, sive *potissimum* vertere possis. Quatuor causae Aristotelicae allatae neminem fugiunt.

283. »*Flavedo croco.*« Nullo modo contendere conor, hunc rectum esse sensum, quum potius persuasum fere habeam, vocabula والصفراء للغب aliud, sed simile quoddam denotare. At vox غب in lexicis talem tenet significationem, qualis nostro loco minime convenit, quam ob causam ex mero arbitrio *crocum* substitui.

284. Codicis واحد mutavimus in واحدا grammatica et metro postulantibus.

285. Vocabulum سارج idem denotare quod Persi-

cum سادة sc. *simplex*, *purus*, *sincerus* viri cll. *De Sacyus* et *Freytagius* iam probarunt. Noster locus autem docet, vocem ساذج non minus eandem, quam سادة et سادج tenere significationem, nisi, quod vix crediderim, سانج pro سادج per errorem scriptum esse, statuendum sit.

286. قصد العقل flagitante et sensu et metro legimus pro codicis قصد للعقل.

293. Eandem fere hominis descriptionem praebet liber تعريفات a *Freytagio* s. v. رسم laudatus. Idem eodem loco distinctionem inter descriptionem perfectam et mancam exponit.

Abu Nasr Alfarabii fontes quaestionum.

Cap. I.

Tota, quam tribus prioribus capitibus auctor praecepit, disquisitio est Aristotelica, sed propriis sententiis haud contemnendis referta. Multae quidem doctrinae ex Alexandrinis quoque desumptae sunt, attamen Alfarabius omnia haec non solum in usum suum bene convertere et totam disputationem paucissimis verbis exponere, sed etiam ordine plane novo exigere haud inscite conatus est.

Quum quid sit necessarium, quid possibile prius exponendum esse statuerit Alfarabius, quam ad summam metaphysices notionem, deum, perveniri possit, primum logica quaedam praecognita paucis repetiit, quo factum est, ut haec commentatio Avicennae de logica poematio arcte se adiungat.

Vocabulum علم (scientia) nostro loco philosophiam κατ' ἐξοχὴν designare nemo non videt. cf. Avic. log. vs. 276, qui locus praeterea nostro exordio simillimus deprehenditur. Ex hac autem scientiae distributione iam patet, quantopere haec Alfarabii philosophandi ratio cum Peripateticorum sententiis conveniat. Quaecunque enim scimus, secundum Aristotelem aut a principiis pri-

mariis et immediatis (ἀξιώματα), aut a suppositionibus certis, necessario statuendis (θέσεις) pendent. Quum vero in philosophia partim exsistentiam, partim essentiam rerum consideremus, principia duplicis esse generis constat. Rerum essentiam intelligimus definitione, quae aut in simplicibus, aut in compositis versatur notionibus atque hac posteriore ratione *demonstratio* vocatur etc. Alfarabius igitur haec Aristotelicae doctrinae principia non minus quam Avicenna, prout ex eius logica elucet, sua fecit, licet ea nec plane eodem modo, neque ita fuse adumbraverit. Clarius de philosophiae principiis aut potius de essentia disputavit Avicenna in dissertatione, in codice A. pag. 20, b. seqq. asservata, cui titulus: اجوبة عن عدة مسائل „Responsio ad multas quaestiones.“ Cuius dissertationis quaestio nona cum illis, quae Aristoteles*) exposuit, tam arcte cohaeret et cum prioribus huius commentationis capitibus tam mire conspirat, ut operae pretium me facturum esse censeam, si integram istam quaestionem hoc loco descripserim: حد الموجود ما هو، الجواب، ليس كل شي ذا حد وذلك
لان كل حد مولف من معان مفردة ولو كان لكل شي حد
الكان يكون لكل معنى مفرد ايضا حد فكان لكل معنى
مفرد معنى اخر مفرد وذهب ذلك الى غير النهاية والحد يفيد
التصور كما ان البرهان يفيد التصديق وكما انه ليس على كل
شي برهان بل ينتهي الى مباد يقع التصديق بها لذاتها لا ببرهان
مثل القضايا الواجب قبولها كذلك ليس لكل شي حد بل
ينتهي الى مباد يقع التصور بها**) لا بحد وكما انه لا يسال لم
الكل اعظم من الجزء كذلك لا يسال عن الموجود ما هو بل
الموجود متصور لذاته وابسط من كل تصور واول كل تصور
ومتصور بذاته فاذا اريد ان تصور فانما يراد ذلك على سبيل التنبيه
عن الغفلة فيعرف اما باسم مرادف لاسمه كالثابت والحاصل او
باقسامه وهو الذي منه جوهر ومنه عرض وما اشبه ذلك واما بالحقيقة
فهو متصور لذاته وهو هل لا ماه ✿ „Definitio entis quid est? Responsio. Non omnis res definiri potest, quia unaquaeque definitio ex pluribus simplicibus composita est notis. Sin vero cuiusque rei essentia definiri posset, quaeque nota simplex etiam definienda foret, et cuique notae simplici aliam iterum notam simplicem inservire

---

*) Metaph. α, 2. pag. 994.

**) Cod. pro بها legit لها.

oporteret, quod in infinitum regrederetur. Definitio pariter notiones illustrat atque demonstratio probationes. Quemadmodum non quaeque res demonstrari potest, sed ad principia pervenimus, a quibus demonstratio propter suam ipsius naturam pendet, neque novam demonstrationem postulat — quapropter etiam iudicia necessaria statuuntur; — ita quoque res unaquaeque non definiri potest, sed principia denique attingimus sub quae, nulla alia definitione denuo instituta, notiones cadunt. Quemadmodum porro non quaeritur, cur totum maius sit parte, ita quoque non quaeritur de ente quid sit, sed ens propter suam ipsius naturam cogitatur, idemque omnium notionum simplicissima et prima est, atque per se ipsum comprehenditur. Quando ens intelligere et comprehendere volumus, hoc tantummodo fit, ut e socordia excitemur. Idem significatur aut vocabulo, suo ipsius nomini adiuncto, quemadmodum: *firmum, manifestum*; aut indicatur divisione, ad quam substantia, accidens et huiusmodi alia pertinent: revera autem sui ipsius gratia cogitatur et quaestioni particula *num* indicatae, non quaestioni pronomine *quid* prolatae respondet." —

Eandem logices distributionem apud Scholasticos rursus inveniri notum est. Ita *Albertus magnus* logicam illam esse disciplinam statuit, quae e rebus notis proficiscens nobis causarum cognitionem paret. Idem logicam dispertiit in doctrinam, quae notiones simplices definitione, compositas autem arte syllogistica dilucidet. — Quum omnes posteriores Aristotelis sectatores quaecunque definitionibus explicare studerent, Alfarabius recte monuit, non omnia definiri posse, sed, nisi eodem revolvi velimus, res statuendas esse, omnem definitionem excedentes. Tales terminos ponit necessitatem, exsistentiam et possibilitatem, quos omnes etiam Avicenna agnoscit, quum praeter ens, de quo supra iam vidimus, nec possibile, nec impossibile, nec necessarium definiri posse contendat*).

---

*) Avicennae Metaph, Lib, II, tract. II. cap. 1. Tennemanni hist. phil. tom. VIII, pag. 378.

Cap. II.

Vocabulum تصديق per totum hoc caput simpliciter adhibitum, idem esse, quod supra تصور مع تصديق vocatum sit, satis constat. —

Exemplum, quod Alfarabius de mundi compositione in medium protulit, eo praecipue nititur, ut omnia aeterna necessario simplicia esse statuat, quia mundus autem ex diversis partibus constructus et institutus est, aeternus esse nequit, ergoque aliquando factus sit oportet. Ex hoc exemplo iam satis patet, quod in subsequentibus magis magisque intelligemus, Alfarabium non mera Aristotelis verba repetiisse, quum hic (de coelo I, 12) mundum neque ortum esse, neque corrumpi posse, demonstrare conatus sit. Alfarabius autem in his et eiusmodi sententiis Alexandrinos quam maxime secutus esse videtur, quoniam hi Aristotelis dogmata ita interpretabantur, ut etiam, fide orthodoxa salva, a Mohammedano adoptari potuerint. —

Principium exclusi tertii, quod Arabs monet, omnino prolatum est ad Aristotelis loquendi rationem; qui (Metaph. Γ. 7.) diserte dicit: Ἀλλὰ μὲν οὐδὲ μεταξὺ ἀντιφάσεως ἐνδέχεται εἶναι οὐθέν, ἀλλ' ἀνάγκη ἢ φάναι ἢ ἀποφάναι ἓν κατ' ἑνὸς ὁτιοῦν.

Post verba نعلم به هذه الطرق uterque codex addit vocabula: وتوصلنا الى تصور الاشياء, eadem autem in cod. A. ab ipso huius codicis librario litura notata esse videntur. Licet igitur cod. B. plerumque lectiones melioris et exquisitoris notae praebeat, quam A, hanc tamen sententiam, quum omnino redundet, exsulare iussimus. Praeterea etiam vocabula تلك الطرق non satis placent; attamen textum ex mera coniectura mutare non ausi sumus.

Cap. III.

Ab hoc demum capite exorditur vera disquisitio. Alfarabius quum praecipue enunciato: *entium causas infinitas esse non posse* nitatur, notionibus possibilitatis et necessitatis in suum usum conversis, nova quadam ratione primi entis exsistentiam demonstrare conatur. Licet autem haec in demonstranda dei exsistentia via ab

lla, qua Aristoteles usus est, quodammodo discrepat, a tamen non solum ex Aristotelica doctrina deducta, ed etiam necessario consecuta est. Nihilo autem minus haec demonstratio summi in historia philosophiae est momenti, quippe quum Scholastici philosophi postea eodem argumento, tanquam a se ipsis invento, gloriati int. In tota quidem hac commentatione omnia magis ndicata sunt quam exposita; attamen facile intelligere possumus, Alfarabium hoc loco idem retulisse argumentum, quo *Albertus magnus* tantam nominis famam consecutus sit. Idem enim hanc materiam Alfarabii fere verbis absolvit*). Unde iterum perspicuum fit, quantam vim Arabum philosophandi ratio in Scholasticorum placita exercuerit.

Cap. IV.

„Si ab illo unum quodque detrimentum removetur.“ Haec verba ad praecedentia non prorsus quadrant, neque, nulla alia sententia intercedente, ex illis ea colligi possunt, quae auctor argumentatur. Sensus mihi hic esse videtur: Si ab illo unumquodque detrimentum removetur, atque unum quodque detrimentum removendum est, quum primum ens et purum ens sit et necessarium: tum eius existentia cet.“ Tali modo sententiam explicandam esse ex illis elucere videtur dubitationibus, quas *Algazalius***) Peripateticis philosophis opposuit.

Vocabulum علل, quod, uti semper, *accidentia* vertimus, nostro loco sumendum est sensu praegnante, ita ut et accidentia et praedicabilia et in universum omnia attributa comprehendat. — Codicis A. vocem الفعل cum B. scripsimus الفعل, quod unice rectum. Vide Avic. de log. poem. vs. 281., ubi eadem vocabula relata leguntur.

Ceterum in hoc et subsequente capite confusionem quandam deprehendi, quisque videt. Quaedam praedicabilia, ut terminus, forma etc. iam in nostro capite tanquam ab ente primo seclusa invenimus memorata,

*) Opp. tom. V. pag. 534. ed Lugd. 1651.
**) Averrois destr. destr. disp. VIII, pag. 42.

alia e. g. genus, differentia iterum in subsequentibus monentur atque itidem de deo negantur.

Cap. V.

»Illi non est *certa forma.*« Sic minus recte et accurate, ne barbaro Scholasticorum vocabulo uteremur, vertimus ماهية, quod τῷ τί Aristotelis et Scholasticorum *quiditati* omnino respondet. Deo *quiditatem* non attribuendam esse et Alexandrini et omnes Arabes Peripatetici ex ea, quam ad calcem capitis antecedentis memoravimus, causa colligebant. Vide etiam *Pocockium* (spec. hist. Arab.) in confessione fidei orthodoxorum Algazaliana. Idem Algazalius apud Averroem*) haec habet: »Esse absque quiditate nec verificatione non est intelligibile. Et quemadmodum non intelligitur privatio absoluta, nisi in relatione ad Esse, cuius privationem considerat, sic non intelligitur Esse absolutum, nisi relatione ad verificationem demonstratam tale; quanto magis, cum demonstratur una substantia. Et quomodo potest demonstrari unum separatum ab alio in re? Et non est ei verificatio. Nam remotio quiditatis est remotio verificationis, et cum aufertur verificatio entis, non intelligitur ens, et, quasi ipsi dixerint, esse et non esse contradicit sibi ipsi.“

Vocabula ابدى (aeternus) et ازلى (perpetuus) ita inter se differunt, ut prius temporis praeteriti, posterius temporis futuri infinitam continuitatem denotet. cf. *Freytag.* s. v. —

Primum ens Alfarabii sicuti Aristotelis non δυνάμει ὄν, sed merum ἐνεργείᾳ ὄν describitur, idemque semper et in perpetuum exsistit, nec corruptibile, nec mutabile est**). *Διότι μὲν οὖν ἀΐδιον,* inquit, *καὶ οὔτ' αὔξησιν ἔχον οὔτε φθίσιν, ἀλλ' ἀγήρατον καὶ ἀναλλοίωτον καὶ ἀπαθές ἐστι τὸ πρῶτον τῶν σωμάτων.* Dei unitatem Aristoteles eodem modo ex necessaria primi entis natura colligit. *φανερὸν δὲ καὶ ἐκ τοῦδε ὅτι ἀνάγκη εἶναί τι ἓν καὶ ἀΐδιον τὸ πρῶτον κινοῦν. δέδεικται γὰρ ὅτι ἀνάγκη ἀεὶ κίνησιν εἶναι. εἰ δὲ ἀεὶ,*

---

*) Destr. destr. disp. VIII. pag. 43.

**) Arist. Met. Λ, 6. Phys. VIII, 5 etc. de coel. I, 3.

ἀνάγκη καὶ συνεχῆ εἶναι· καὶ γὰρ τὸ ἀεὶ συνεχές, τὸ δ' ἐφεξῆς οὐ συνεχές. ἀλλὰ μὴν εἴ γε συνεχής, μία. μία δ', εἰ ὑφ' ἑνός τε τοῦ κινοῦντος καὶ ἑνὸς τοῦ κινουμένου κ. τ. λ.*). Omnia denique, quae Aristoteles de deo praedicaverit, haud absona sunt nostro loco, licet Arabs singulas dei virtutes e poetarum fere more enumeret.

In prioribus, quae huc usque tractavimus, capitibus oratio in *ente primo* versatur, neque unquam ipsum *dei* nomen prolatum est; in postrema contra commentationis parte, in qua deus plane ad dogmata Alcorani descriptus est, ipsius nomen non semel diserte memoratur. Quod auctor instituisse videtur, ne quaestionibus et disputationibus de summo numine, quod orthodoxus Mohammedanus credere et non demonstrare debet, idiotas offenderet.

Cap. VI.

Iam rerum ex primo ente se manifestantium originem indicat Alfarabius, atque ab Aristotele deflectens hoc in argumento Alexandrinos et in universum emanationis doctrinam profitentes sequitur. Scite vero medium quoddam tenet inter utrasque partes, quum horum vana et insana figmenta evitet; Aristotelicorum autem deum opinionibus orthodoxorum Mohammedanorum accommodaverit et exhibuerit.

»Quod, sicuti nos tendimus, ab illo tetenderunt.« Clarius hoc exponitur ab Avicenna (Met. pg. 75. ed. Rom.), secundum quem illis verbis hic fere sensus subest: Quemadmodum nos, ut universus mundus exsistat et fiat, eniti possumus, ita res tendere non potuerunt. Illae enim primo ente nolente externum et diversum quoddam appetere nequibant, quum ita primi entis substantia non simplex remansisset, nam eius voluntas et cognitio ex una parte et rerum studium ex altera parte ipsius essentiam ancipitem et duplicem reddidisset. Ex verbis: »Ens primum non eatenus absolutum est, quatenus postquam (res) non exstitere, separatam iis tribuit exsistentiam« satis liquet, Alfarabium non minus quam Avicennam, Thofailium, Averroem, ceteros, quorum praecipue primus

*) Phys. VIII, 6.

Alfarabii dogmata non solum amplexus esse, sed etiam in libris suis metaphysicis et elaborasse et pro suis praedicasse videtur, cum Aristotele *materiam aeternam* statuisse, ex qua principium agens, uti Arabes isti aiunt, non nisi formas, quae secundum *potentiam* illa iam contineantur, in *actum* extrahat, quo facto mundus dei quidem opus est atque secundum essentiam illo posterior, sed secundum tempus ei aequalis deprehenditur*). Hoc modo speciem saltem prae se ferre studebant, se revera Mohammedicae religioni addictos esse; et ex altera parte Aristoteles, quum ex materia aeterna cum forma coniuncta omne ens, sensibus obnoxium, procedere doceat**), eandem doctrinam profiteri videbatur. Hanc sententiam a secta Dialecticorum (מדברים) impugnatam et mundi creationem ex nihilo promulgatam esse, ex eodem *Averroe****) et ex *Mose Maimonide*†) discimus. —

Deinde iam ad emanationem transit auctor noster statuens, omnes res ex primo principio propter cognitionem sui ipsius procedere. Quum primum ens autem, quemadmodum Alfarabius ait, bonum a se constituendum noverit, ideoque res e consilio a se dimittat, inde sequi mihi videtur, illi omnia quoque, quae ab ipso pendeant, nota esse. Hanc doctrinam, quam Alfarabii verbis contineri puto, eam ob causam moneo, quia vetustiores Arabum philosophi primum principium non res a se oriundas, sed se ipsum tantum novisse contenderunt, quae opinio deum omnibus creaturis adeo imperfectiorem facit. Ab Avicenna hanc auctoris nostri sententiam fusius et clarius pronunciatam esse ex Averroe

---

*) Averrois destr. destr. disputat. III, pag. 20. Thofail. philos. autodidactus passim.

**) Ita Aristotelem statuisse Arabes diserte docent. cf. *Averroes* in Metaph. lib. XII., ubi haec habet: ... „tertia autem est opinio Aristotelis, et est, quod agens non facit nisi compositum ex materia et forma etc.

***) l. l. „Dicentes autem creationem dicunt, quod agens creat totum ens de novo ex nihilo, quod non habet necesse ad hoc, ut sit materia, in quam agat, sed creat totum. Et hæc est opinio Loquentium in nostra lege etc.“

†) More Nebochim p. I. cap. 74.

discimus, cuius integrum locum, quum valde ad nostrum faciat, afferre iuvat: »Si autem dixerit, primum non intelligere nisi se ipsum, et intelligere se ipsum est ipsummet, et intellectus et intelligens et intellectum est unum et non intelligit aliud; responsio huic est multipliciter. Et primo, quod hanc opinionem propter falsitatem eius expulerunt Avicenna et alii verificantes, et existimaverunt, quod primum intelligit se ipsum esse principium ad influendum id, quod influitur ab eo, et intelligit entia omnia in speciebus suis intellectione universali, non autem particulari. Nam vituperaverunt sermonem dicentis, quod ex primo principio non provenit nisi intellectus unus, et quod non intelligit, quod provenit ab eo; et intellectum eius est intellectus, et influitur ab eo intellectus et anima orbis et corpus orbis, et intelligit se ipsum et causata eius tria; sed causa eius et principium eius non intelligit nisi se ipsum. Igitur causatum est nobilius causa, quum a causa non influitur nisi unum, ab istis vero influuntur tria; et primum non intelligit nisi se ipsum; hoc vero intelligit se ipsum et substantiam principii et substantiam causatorum — et provenit ex iis depressio excellentiae eius, adeo quod auferunt id quod intelligitur in eo de celsitudine, et constituerunt eum tanquam mortuum, cui non est dominium in eo, quod gubernat mundum nisi quod differt a mortuo in eo, quod considerat se ipsum tantum*).

وجود مجرد quod proprie *exsistentiam abstractam* denotat et quod *separatam* exsistentiam vertimus, nostro loco exsistentiam designat *nulli alii subiectam, a nulla re pendentem*, sive, ut uno vocabulo dicam, *absolutam*. Sensus, quem auctor noster vocabulo ابداع (quod *productionem* vertimus), tribuit, vulgari usui non convenit, quum proprie rei, cuius materia ante ipsius rei exsistentiam non adfuit, manifestationem, ergo idem designet, quod nos *creationem* dicimus.

Cap. VII.

Simulatque Alfarabius Aristotelem reliquit, dogmata

*) Destr. destr. disput. VI.

sua Neoplatonicorum et Gnosticorum doctrinam produnt, ita v. g. *intellectus primus* magis minusve similis est illi enti, quod a *Philone* λόγος, a *Basilide* νοῦς, ab aliis δημιοῦργος et πρόαρχα vocatur. Sufiorum etiam de hoc argumento placita quam maxime sunt cognata, quemadmodum iam ex iis patet, quae cl. *Hammerus**) ex libro: رشحات عين الحيات diserte exposuit, et quae, quatenus nostrum locum illustrant, paucis verbis repetamus:

Primus intellectus, etiam *intellectus universalis* (عقل كلى) appellatus cognitione triplicis generis institutus est. Primum معرفة حق cognitio veritatis (i. e. summi numinis), deinde معرفة نفس cognitio sui ipsius, tum denique معرفة احتياج cognitio necessitatis eum, ut opera manifestet, permovent. Ex cognitione veritatis nascitur *intellectus secundus*, ex sui ipsius cognitione procedit *anima mundi* sive *anima universalis* (نفس كل), ex necessitatis cognitione autem *corpus mundi* (جسم كل), sive *summus orbis* (فلك اعظم). Haec vero iam ad subsequentia capita pertinent, in quibus breviter ad ea revertemur, —

De primo intellectu, qui etiam عقاب vocatur, vide librum تعريفات, cuius definitio a *Freytagio* s. v. allata est. Fusius de hoc intellectu primo seu universali disputavit Avicenna in libello, supra laudato, cui titulus: »Responsio ad multas quaestiones.« Cuius intellectus quum ab Arabicis philosophis et mysticis saepe mentio fiat, haud inutile erit integram huius libelli quaestionem tertiam describere.

حقيقة النفس الكلية والعقل الكلى والروح الكلية ما هو وهل ذلك جواهر او غير جواهر وكل ذلك احيا او لا وكل ذلك فارق غيره باكامه واوصافه الذاتية**) ام لغيره

الجواب الكلى يقال لمعنى معقول يشترك فيه كثيرون ويقال لشى واحد فى الوجود ينسب الى كثيرين او الى كل فاذا عنى بالنفس الكلية المعنى الاول كان هو المعنى المعقول العام للنفوس كلها الذى يطابقه حد النفس العامة ولم يكن له وجود قايم بل كان حاله حال البياض الكلى والحركة الكلية وكذلك حكم العقل الكلى والروح الكلية ۞ فاما النفس الكلية بالمعنى الاخر

*) Diurn. Litt. Lips. 1822, II. (fol. 252. etc).

**) Cod. post الذاتية iterum leg. فارق, quod exsulare iussimus.

فيستعمل عندهم على معنيين وكما ان جرم الكل وحركة
الكل يقال على معنيين فيقال تارة جرم الكل لجملة الاجسام
السماوية كان الاجسام العنصرية لصغرها وسقوط قدرها لا نسبة
لها الى الكل فكذلك حركة الكل وتارة يقال جرم الكل
للجرم الاقصى الذى هو محيط بالكل ويحرك مثل حركته الكل
وكذلك يقال حركته خاصة الكل فكذلك يقولون نفس الكل
ويعنون به النفس المحركة للفلك الاعلى الذى يسمى فى الشرايع
عرشا وهى النفس التى بها الجرم الاقصى حى ويقولون عقل الكل
ويعنون به العقل المفارق الذى عنه وجوب نفس ذلك الجرم اعنى
بتوسطه وبنسبته وان كان الاول منه لكل شى وربما قالوا نفس
الكل ويعنون به جملة الانفس المحركة للافلاك كلها كانها نفس
واحدة والافلاك جرم واحد وكذلك يقولون عقل الكل لجملة
ذلك العقول المفارقة التى لا شى منها فى جسم ولا محرك لجسم
الا كما يحرك المثال المتشوق اليه والمرتسم امره وفى تحقيق
هذه المسماة عقولا فعالا والنفوس المسماة نفوس قدسية والفصول
بينهما صعوبة لا نوردها ثم لا يكيفها الا النظر المستقصى ليتوصل
اليها بالتدريج واما الروح الكلية فهذا المعنى مما لم يجد فى
الفاظ الفلاسفة وكثر ذكره فى الكتب الالهية ويشبه ان يكون
الاشارة فيها الى هذه العقول الفعال التى هى من خير الامر الالهى
كما ان الاجسام من خير الخلق الالهى وفى تحقيق ذلك ايضا
صعوبة وكل هذه جواهر فان وجودها غير مفتقرة الى موضوع
البتة وهذا معنى كون الشى عند الفلاسفة جوهرا وكلها احيا
لكن الحياة العقلية اشرف من الحيوة النفسانية وكل حيوة فمع ادراك ۞

»Quid significat proprie anima universalis, intellectus universalis et spiritus universalis? Utrum hi deprehenduntur substantiae, an carent substantia? Iidemque omnes suntne vivi, an vitae expertes? Num quantitati et essentialibus attributis suis nemini subiecti sunt, an pendent ab alio quodam?«

»*Responsio*. *Universalis* vocatur intelligentiae notio, quam multi participant, deinde res ita appellatur revera una, sed ad multos vel ad omnes pertinens. Quando significatio prior animae universali imponitur, tum est intelligentia omnibus illis animis communis, quae tanquam anima communis definiri possunt. At constans et firma non est notio illa, sed eiusdem deprehenditur rationis, cuius corpus*) et motus universa-

*) Vocabulum البياض, quod proprie *albedinem* significat, verti *corpus*, quum, si subsequentia spectas, aut idem quod جرم designet, aut eius loco in textum irrepsisse videatur.

lis. Eodem etiam modo se habent intellectus universalis et spiritus universalis. Alter *animae universalis* sensus ex usu vulgari usurpatur duplici modo. Quemadmodum enim corpus universale et motus universalis duabus rationibus adhibentur (corpus enim universale tum nuncupatur coelestium corporum summa — corpora elementorum propter exiguitatem et exilitatem ad universalia non referuntur — eodemque modo motus universalis dicitur: tum corpus extremum, universum mundum cingens, ad cuius motum mundus movetur: eadem quoque ratione eius motus definitur universo mundo peculiaris), ita quoque *anima universali* plerumque significatur anima orbem supremum, in sanctis legibus *thronus* appellatum, movens, quae illa anima est, a qua corpus extremum vitam accipit. Intellectum universalem dicunt intellectum immaterialem, ex quo — i. e. ex cuius intercessione et relatione, licet etiam unius cuiusque rei primitiae ab illo sint — anima huius corporis coelestis (supremi) processit. De anima universali saepe verba faciunt homines, dum animarum, omnes orbes moventium, summam tanquam unam animam considerant. Eodem modo summam intellectuum immaterialium corporis plane expertium, vocant *intellectum universalem*. Corporis enim motus a nemine dirigitur, nisi a ratione, qua idea, quam desiderat, et cui obtemperat, movetur. Hi intellectus (universales) proprie cognominantur *intellectus agentes*; animae (universales) vocantur *animae purae*. Quae inter utrasque sit differentia difficile est dicere, eaque hoc loco supersedemus. Singulae earum qualitates non nisi disquisitione accurate et, ut gradatim eas percipiamus, diligenter instituenda designantur. — *Spiritus universalis* ad vocabula pertinet, quae inter philosophicas notiones non deprehenduntur, attamen in libris theologicis saepe commemorantur, idemque ad hos intellectus agentes pertinere videtur, qui, quemadmodum corpora (humana) creaturis divinis maxime praecipuis annumerantur, inter praestantissima opera divina referendi sunt. Proprie autem haec quoque difficilia sunt. Omnes vero illi sunt substantiae. Nam eorum essentia prorsus non indiget obiecto quodam substrato, quae rei essentia a philosophis

substantia nuncupatur. Omnes deinde vita sunt praediti, at intellectus vita praestantior est animae vita. Omni autem vitae perceptio est adiuncta.« —

De *intellectu universali* et *anima universali* vide etiam, quae cl. *Tholuckius* disseruit in libro, qui inscribitur: Sufismus sive theosophia Persarum pantheistica pag. 225. seqq.

Cap. VIII.

Primi intellectus descriptionem munusque et in universum totam singulorum entium emanandi et evolvendi rationem plane ad Alexandrinorum praecipue Plotini placita accedere, non opus est commemorare. — Integrum emanationis systema secundum Alfarabium, quemadmodum in initio capitis tertii contenderat, duobus exsistentiae modis nititur: entia vel *exsistere possunt*, vel *necessario exsistunt*. Quum autem tota Alfarabii argumentatio caligine quadam obfusa deprehendatur, sententiarum nexum paucis repetamus.

Dei exsistentia *necessaria* est, quippe quum ultimum, ad quem semper redeamus oportet, terminum constituat; nulla vero alia causa praecedente illius exsistentia *possibilis* esse nequit. Extra deum materies deprehenditur aeterna, quae tamen eatenus exsistit, quatenus rerum formas in potentia continet. Hac igitur ratione rebus non est nisi exsistentia possibilis. — Quum autem, quod emanationis auctores cuncti statuunt, quaeque in exsistentiam processio cognitione tantummodo efficitur, ex deo una tantum creatura manifestari potest, nam deus unum tantum simplex principium, ut ita dicam, in se continet, exsistentiam necessariam. Hanc ergo ad exsistentiam possibilem transire oportet, sive, ut aliis verbis utar, forma *possibilis* fiat oportet *necessaria*. Prima haec creatura, quam intellectum vocant primum, duplex iam complectitur principium. Quatenus enim exsistere iussa est a deo *necessariam* possidet exsistentiam; *possibilem* vero quatenus a materia extra deum posita pendet, atque iterum formas rerum, a se manifestandarum in potentia continet. His igitur fit accidentibus, ut in ipsa iam appareat multitudo sive varietas. Necessariae suae exsistentiae cognitione

eam simul ad cognitionem illius perducit, a quo pendet, dei videlicet, ex quibus duabus cognitionibus nova creatura procedit, intellectus secundus: sui ipsius cognitio illam docet, se ipsam in potentia pendere ab aeternis formis, easdemque vicissim rerum formas in potentia contineri in ipsa, se ipsam ergo, ut Arabs dicit, exsistentiam possidere possibilem. Ex hac sui ipsius et possibilium formarum cognitione coniuncta procedit *orbis coelestis*. Sic aliis ab aliis porro se manifestantibus, maior varietas in creaturis exsistat oportet, quo magis a primo et summo principio recedunt.

Primo obtutu haec doctrina a Sufiorum placitis, qualia in notis ad caput antecedens recensuimus, discedere videtur. Nihilo minus autem omnia haec arcte cohaerent. Secundum aliam enim, quam *Hammerus* etiam l. l. memoravit, Sufiorum explicandi rationem ex tribus primi principii modis essentiae cetera entia deducenda sunt. Nam ex exsistentia (وجـود) procedit intellectus postremus, ex necessitate (وجـوب) anima postrema, ex possibilitate (امكان) coelum infimum. Unde facile patet, licet entia a primo principio producta diversa sint ab illis, quae Alfarabius statuerit, rationem, qua omnia producantur, unam fere eandemque esse.

Cap. IX.

Quot intellectus exsistant computando enumerari posse, statuit Alfarabius, quandoquidem ex illo, quem in capite antecedente indicavit, ordine et ratione singuli planetae eorumque orbes motore, sive, ut auctor dicit, intellectu indigent. Intellectuum numerus igitur plane respondet septenario planetarum numero, quemadmodum Averroes aperte docet, Neoplatonicorum vestigia premens. Avicenna (Met. ed. Rom. pag. 76.) intellectuum numerum, donec ad eum intellectum, qui animas nostras dirigit, pervenerimus, magnum esse statuit; sed hoc Alfarabii sententiae non repugnat, quum nec vocabulum *magnus* urgere debeamus, nec Avic. nisi in universum locutus sit. — Intellectus agens et immaterialis, quo intellectuum et orbium numerus absolvitur, intellectus est lunaris, qui simul animam terrenam emittit et orbem lunarem regit, quemadmodum

ex Averroe*) discimus. Hic, quum omnium maxime ad homines spectet, nostro loco *intellectus agens* κατ' ἐξοχήν appellatus esse videtur, nam ceteri quoque intellectus et *agentes* et *immateriales* praedicantur, ergoque terminus, ad quem isti intellectus agentes perveniant, certus non deprehenderetur, si hanc vim vocabula عقل فعال velis denegare. — Ad finem huius capitis *anima terrena* memoratur, quod singulare est, quum in antecedentibus ubique de intellectibus et orbibus, nunquam autem de anima quaestio fuerit. Ex Avicennae disputatione, quam ad caput septimum retulimus, non satis liquet, quid *anima* proprie significet; sed facile est intellectu, Alfarabii animam nihil aliud esse, quam Aristotelis ψυχήν, vitae sc. principium, quod vocant. Tale principium orbibus non minus quam terrae insit oportet, illud enim (etiamsi noster auctor diserte non monuit), uti ex Avicennae (l. l.) verbis constat, cunctarum animarum, quibus singula terrena corpora praedita sunt, summa est, sive, ut uno verbo dicam, vita omnibus communis. —

Quam prope integra doctrina, excepta emanatione, ad Platonis et praecipue Aristotelis de forma mundi placita accedat, nemo non intelligit. Aristoteles in libris de coelo plane eodem ordine stellarum fixarum et planetarum orbes distinxit, horumque singulorum motores eadem ratione agere docuit**). Maior etiam similitudo apud Plotinum invenitur, qui in universum plurium Alfarabii placitorum auctor fuisse videtur***).

De elementorum origine disseruit Alfarabius plura in capite decimo et undecimo, quae etiam Aristotelis dogmatis valde sunt cognata. Secundum Arabem procedunt elementa ex singulorum orbium motorum contactu, quod proprie Stagiritae quoque est sententia, qui illa partim ex oppositis materiae partibus (ἐναντιώσεις),

---

*) Epitome Metaph. tract. IV. „Intellectus agens ordinatur ex „ultimo horum in ordine, et ponamus, ipsum esse motorem „orbis lunae.“

**) De coelo II, 12. et passim.

***) Cf. Enn. IV, 3. VI, 4 etc.

partim ex motuum varietate deducit*), quam utramque opinionem auctor noster, licet paucis verbis, indicavit cf. cap. XI.

Cap. X.

Totius huius et subsequentis capitis argumenta primo obtutu non satis cohaerere, sed temere confusa esse videntur. Nihilo minus vero, quamquam Arabem in ceteris capitibus ab omni repetitione liberare nequeam, haec omnia arctiore vinculo obstricta sunt. Initia (أركان), de quibus auctor primum loquitur, non illa sunt corporea, quae postea memorantur: ignis, aër etc., sed merae oppositiones, sive Aristotelis ἐναντιώσεις, calidum videlicet et frigidum, liquidum et solidum. Haec enim differentia, licet non semper observata, proprie mihi interesse videtur inter vocabula أركان (initia, quae sensibus non possunt percipi) et عناصر (elementa, quae sensuum sunt obiecta), quorum posteriora etiam مواد (materiae) dicuntur, ita ut Arabs plane cum *Galeno***) consentiat. Ab elementis, non directe ab initiis, pendent primae corporum qualitates (كيفيات), quarum temperatio (مزاج) secundas qualitates gignit***). — De initiorum origine non solus Aristoteles, ut iam supra vidimus, sed etiam Plato satis accurate cum Alfarabio convenit†).

Substantia, in qua omnia nituntur, undeque anima rationalis, animalis et vegetalis deducitur, non primus intellectus, sed deus est.

Nulla, quod iam in cap. VIII. monuimus, emanatio seu evolutio fieri potest, nisi cognitio accedit et sui ipsius et genitoris et rerum ab ipso ente manifestandarum. Quum igitur Alfarabius iam ad ea vult transgredi, quae ex quatuor initiis procedunt, corpora videlicet, oportet ad intellectus redeat agentes, sive corporum coelestium rectores et gubernatores. Hac igitur ratione singulae cohaerent sententiae. — Corporum coelestium rectores, sive, ut auctor brevius dicit, corpora

---

*) De coel. I, 2. III, 6. de gener. et corrupt. I, 6. II, 4.
**) De element lib I. pag 50. seqq.
***) Cf cap. XVIII. et XIX.
†) Cf. Timaeus pag. 58.

coelestia, quo magis a primo principio remota sunt, eo minore gaudent cognitione. Quum vero obscura quadam cognitione sciant, alia ab ipsis manifestanda esse corpora (coelestia scilicet, sibi similia), cientur motu. Singulae autem, quibus consistunt, ἐναντιώσεις hoc motu tanguntur et coniunguntur, atque ita elementa procedunt, quae, quum singula iterum continuo moveantur et semper a principio primo recedant, ipsa corpora mundana gignunt. Mutationes igitur omnes primum a cognitione, deinde a motu proficiscuntur. — Haec huius capitis summa esse videtur, quae, ut ab omnibus fit, qui emanationis doctrinam praecipiunt, verbis quodammodo obscuris et confusis prolata est. —

Vocabulum معلومات proprie *res, quae sciuntur*, denotans, in universum etiam *scientias* sive *cognitiones* designare ex nostro loco non minus, quam ex lexico Meninskii apertum est. — تخيّل quod *notionem falsam*, sive *imaginationem perversam* significat; nostro loco usurpatum est pro *turbata atque obnubilata cognitione*, quae priorum orbium rectoribus clara fuit.

Cap. XI.

Omnia initia, sicuti supra vidimus, a sempiterna proficiscuntur materia, quae continuo in oppositionibus, si ita dicere licet, versatur. Haec igitur materies omnibus initiis est communis, quam opinionem Aristoteles aeque ac *Plato**) sustentavit. Secundum totum hoc systema quisque inferior orbis ita se habet ad superiorem ut materia ad formam, quum causa movens formam, res mota autem materiem offerat, sive, ut Aristoteles dicit: τὸ εἰς τὸν αὐτοῦ τόπον φέρεσθαι ἕκαστον τὸ εἰς τὸ αὐτοῦ εἶδός ἐστι φέρεσθαι. ἀεὶ γὰρ τὸ ἀνώτερον πρὸς τὸ ὑφ'. αὐτὸ ὡς εἶδος πρὸς ὕλην οὕτως ἔχει πρὸς ἄλληλα**). Ex quibus patet, quod Arabs contendit, formas initiorum diversas non nisi a diverso movendi modo procedere. Unde corporum coelestium mutatio eveniat, ab Alfara-

*) Timaeus pag. 49.
**) De coel. IV, 3.

bio iam in antecedente capite recensitum est, a varietate videlicet cognitionum, quas habent, universalium et peculiarium. Ab hac corporum coelestium mutatione omnium rerum mutationem etiam pendere, satis clarum est, quippe quum eorum mutatione copulationes et disiunctiones elementorum, his autem omnes rerum habitus et conditiones nitantur. Corporum coelestium continuitatem et formam ab elementorum et corporum mundanorum continuitate et forma differre, quemadmodum Arabs contendit, nemo non videt, quum in his partim maior et coagmentatior congeries, partim aliud movendi genus deprehendatur. Corpora coelestia revera ex materia consistere Alfarabio inde patet, quod illis est continuitas in tres dimensiones se extendens: illa vero certam etiam habere formam secundum Arabis sententiam inde sequitur, quod materies nulla realis esse potest sine forma. Tali modo in hoc quoque capite nexum sententiarum satis arcte constitutum videmus. —

Similem nostro loco sententiam de initiis, materie, continuitate exposuit Tofailius in libro: Philos. autodid. ed. Pocock. pag. 91, seqq. et Avicenna Met. ed. Rom. pag. 74. seqq. — Ceterum memoratu dignum est, ab Alfarabio tanquam veram corporis naturam et notam eius tres dimensiones consideratas esse. Avicenna veram corporis naturam solum in continuitate versari, et certas in longitudinem, latitudinem et altitudinem dimensiones non essentiales esse contendit*).

Cap. XII.

Coelestium corporum motus necessario orbiculares esse ab Aristotele ex eorum perfectione et perpetuitate demonstratur, quam opinionem Alfarabius etiam alio loco**) suam fecit. Ceterum triplex motus genus, motum localem, quantitativum et qualitativum a Stagirita desumptum esse, quisque videt. Hic enim ex praedicamentis triplicem movendi rationem deducere conatus est:

---

*) Metaph lib II tract 3 cap. 7.
**) Cf. cap. XV.

*εἰ οὖν αἱ κατηγορίαι διῄρηνται... [ἀνάγκη τρεῖς εἶναι κινήσεις, τήν τε τοῦ ποιοῦ καὶ τὴν τοῦ ποσοῦ καὶ τὴν κατὰ τόπον**). Quocum loco conferas Metaph. Λ, 2. — Quae de simplicium corporum motu ab Alfarabio proferuntur, itidem ex Aristotelis doctrina derivata sunt. Nam secundum huius sententiam propter globosam mundi formam duo naturalia sunt loca, inferus et superus. Quae versus medium semper sita sunt, in loco infero, quae versus orbem extremum in loco supero iacent. Hinc tres motus exsistunt, motus circularis, motus, qui superum et motus, qui inferum locum petit**). Quae sursum feruntur corpora vocantur levia; gravia, quae e centro deorsum aguntur***). E medio sursum cietur *ignis*, e medio deorsum *terra*, idemque in ceteris elementis manifestatur†). Elementis igitur sive corporibus simplicibus haec motus genera competunt, quae aequabilia esse secundum Aristotelem inde patet, quod ipsa corpora simplicia sunt.

Postremam huius capitis sententiam magis ad sensum, qui his verbis subesse mihi videtur, quam ad verbum retuli. Nam hoc tantum puto significare enunciatum: Quo magis in corpore composito elementum quoddam praeponderat, eo magis etiam huius motum adfectat: si multae corpori insunt particulae leves, illud facilius superum, sin vero graves, inferum potius petit locum.

Cap. XIII.

Singula in hoc capite recensita argumenta iterum similia Stagiritae sententiis sunt. Ipsa naturae definitio ad notionem, qualem Aristoteles tenuit, satis accurate accedit. Nam hic, ut unum memorem, ait††): *τὰ μὲν γὰρ φύσει ὄντα πάντα φαίνεται ἔχοντα ἐν ἑαυτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως.* Cum Alfarabio etiam quam maxime

*) Phys. V, 1. ad fin.
**) De coel. I, 2.
***) Ibid. IV, 1.
†) Ibid. 5.
††) Phys. II, 1.

consentit Avicenna, cuius explicationem vocabuli *naturae* ex libro »responsio ad multas quaestiones« afferre, ab hoc loco non alienum duco: واما الطبيعة فى كلام الفلاسفة فيقال على معنيين فيقال طبيعة لما عليه نظام الوجود.... ويقال طبيعة للقوة الحاصلة فى الاجسام التى تصدر عنها التحريك والتسكين المتفق على جهة واحدة فيما هو فيه بالذات لكن الاطباء يقولون طبيعة للمزاج والطبيعة التى هى المزاج غير موجودة للبسايط ان المزاج عند التركيب بل بعده اذا تفاعلت القوى المتضادة واستقرت على حدة ۞ ويقولون طبيعة لهية التركيب كما يقولون ان بعض الابدان طبيعتها ان يكثر فيها السدد وذلك هو ضيق مسامها ۞ ويقولون طبيعة لكل قوة بدنية تحرك من غير ارادة حتى يسمون النفس النباتية طبيعة ۞ والفلاسفة يسمونها نفسا فانها تحرك حركات متضادة فى جهات النشو تفريعا وتعليقا وتفعل بالات وذلك خلاف ما حدوا به الطبيعة ۞

»Vocabulum *natura* in sermone philosophorum plures tenet significationes. *Natura* nuncupatur quod sub quendam exsistentiae modum cadit... Deinde *natura* appellatur vis in corporibus manifesta, unde et motus et quietis principium procedit, quod secundum virtutem sibi insitam versus unum idemque latus continuo tendit. Medici vero temperationem vocant *naturam*. Natura autem, quae temperatio dicitur, in simplicibus corporibus non reperitur (omnis enim temperatio compositione efficitur); sed postea, quum vires, sibi contrariae, coniunctae sunt quidem, attamen seorsim exsistunt. Tum etiam forma compositionis vocatur natura. Ita v. g. nonnullorum corporum naturam esse dicunt, multas habere rimas, quae angustia sunt eorum foramina. Natura item nominatur omnis virtus corporis, quæ nulla voluntate permota cietur, quapropter animam vegetalem etiam naturam nuncupant. A philosophis illa appellatur *anima*, quandoquidem motus, qui partibus sibi oppositis percipiuntur, singulos et universos perficit et corporeis instrumentis actiones suas manifestat *). Hae variae sunt naturae definitiones.« —

Ceterae diversarum animarum distinctiones plane sunt Aristotelicae, quippe quum ab hoc quoque secun-

---

*) Totum enunciatum ad sensum tantum, qui ei inesse mihi videbatur, verti, quamquam me hunc omnino assecutum esse affirmare non audeo.

dum locales et voluntarios motus omnes vita praeditae creaturae ordinentur.

Quam de tempore retulit definitio, nec plane Aristotelica, neque omnino recta esse videtur. Aristoteles quidem multis locis de tempore disputavit, sed variant quodammodo eius sententiae. Ita v. g. dicit: ἡ κίνησις (ποιεῖ) τὸν χρόνον *). Aliis locis tempus declaravit motus numerum v. g. χρόνος δὲ ἀριθμὸς κινήσεως **); aliis denique tempus vocat motus mensuram: ἐπεὶ δ' ἐστὶν ὁ χρόνος μέτρον κινήσεως καὶ τοῦ κινεῖσθαι, μετρεῖ δ' οὗτος τὴν κίνησιν τῷ ὁρίσαι τινὰ κίνησιν ἣ καταμετρήσει τὴν ὅλην. κ. τ. λ ***). Quae enunciata omnia satis longe recedunt ab Arabis definitione, in qua valde displicet tum vox indefinita الأشياء (res), tum praecipue تتصل (copulantur), pro quo posteriore تعد vel simile quoddam exspectamus vocabulum. Deinde etiam post وحركة pronomen التي aut tale quidquam omissum esse videtur. — Rectius et omnino cum Aristotele conspiravisse videtur Avicenna, qui (log. vs. 264.) diserte quaerit, utrum tempus mensura sit, an numerus. Idem (Met. ed. Rom. pag. 31.) plane Aristotelis verbis tempus definivit: الزمان مقدار للحركة المستديرة من جهة المتقدم والمتاخر لا من جهة المسافة »Tempus mensura est motus orbicularis secundum Prius et Posterius, non secundum distantiam.« — Vocabulum مقطع, quod vertimus *terminus*, *quo dividitur*, proprie designat *instrumentum*, *quo quid resecatur*. Haec sententia iterum ex mente Aristotelis est, secundum quem τὸ νῦν simul est coniunctio et divisio τοῦ προτέρου καὶ ὑστέρου †). — Quae deinde sequuntur omnia e Stagirita desumpta sunt††), et perspectu facillima. Cur res per se ipsam moveri nequeat, ab Aristotele clarius expositum est. Nam δέδεικται, inquit, .. ὅτι πᾶν τὸ καθ' αὑτὸ κινούμενον συνεχές. ἀδύνατον δὴ τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν πάντῃ κινεῖν αὐτὸ αὑτό. κ. τ. λ. *).

---

*) De gen. et cor. II, 10. ad fin.
**) De coel. I, 9.
***) Phys. IV, 12. et multis al. loc.
†) Cf. etiam. Phys. VI, 3.
††) Phys. VIII, 1. seqq.
†††) Ibid. 5.

Tum denuo ad Aristotelicam transit auctor noster dei demonstrationem, quae tamen ita constituta est, ut eam ad verbum fere ex Aristotele descriptam esse facile videas. cf. phys. VIII, 6. Metaph. Λ, 8. qui locus nostro simillimus est, si vocabuli *coelum* loco *deus* sive *primus motor* substituis. Platonem etiam de primo principio plane similem opinionem secutum fuisse, satis constat.

Cap. XIV.

Vocabulum سطح (superficies sive planities corporis) sensu mathematico sumendum est, ita ut quantum sit longitudine et latitudine, non vero altitudine sive profunditate praeditum. Ad hanc *loci* definitionem proxime accedit Aristotelis sententia*): ἀνάγκη τὸν τόπον εἶναι — τὸ πέρας τοῦ περιέχοντος σώματος. Arabs vocabulum πέρας scite cum *planitie mathematica* commutavit, quandoquidem vocabulum πέρας rem accurate non tangere ipse Aristoteles iam vidit, ideoque definitioni adiunxit: λέγω δέ τὸ περιεχόμενον σῶμα τὸ κινητὸν κατὰ φοράν. — Arabs deinde, licet causam non afferens, cum Aristotele**) vacuum, τὸ κενόν, negat. Sed Arabs vacuum non exsistere directe enunciat, dum Aristoteles illud eatenus tantum negat, quatenus causas, quibus philosophi veteres, ut vacuum ponerent, perducti fuerant, refutat, idem ergo non nisi negative, quod vocant, vacuum desiderari demonstrat. —

Praeter ea, quae in antecedentibus capitibus iam de motu contenderat, nunc ad motus genera transit Alfarabius et omnino cum Aristotele consentiens corpora coelestia motu in orbem ducto, res corruptibiles autem motu recto ferri affirmat***).

Vocabulum جهة, quod directionem versus unam eandemque regionem, plagam, sive partem et latus coeli denotat, hoc loco non plane perspectum habeo. Aristoteles†) non idem, quod Alfarabius, sibi voluisse vide

*) Phys. IV, 4.

**) l. l. 7 et 8.

***) Cf Arist. de gen. et cor. II, 9, 10.

†) De coel. II, 2.

tur, ubi de plagis coelestibus haec verba facit: *ἅμα δὲ καὶ εἰώθαμεν λέγειν τὰ πλάγια ἐν τῷ κόσμῳ οὐ τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω, ἀλλὰ τὰ περὶ τοὺς πόλους, ὡς τούτου μήκους ὄντος. τὸ γὰρ εἰς τὸ πλάγιόν ἐστι τὸ περὶ τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω. κ. τ. λ.* Alfarabius hoc loco ipsam directionem versus regionem quandam denotare voluisse videtur. —

Ex enunciato: والجسم الذى يكون فيه الميل الطبيعى »Corpus, quod a natura, ut certa quadam ratione feratur, institutum est,« negationem, quae in utroque codice post الذى legebatur, exsulare iussimus. Quod nisi fit, subsequens enunciatum et verba: متى كان فى طبعه omnino redundare et plane insulsa esse videntur. Praeclare ad nostrum locum facit Aristotelis sententia*): *βίᾳ μὲν γὰρ ἐνδέχεται τὴν ἄλλου καὶ ἑτέρου (κίνησιν), κατὰ φύσιν δὲ ἀδύνατον, εἴπερ μία ἑκάστου κίνησις ἡ κατὰ φύσιν τῶν ἁπλῶν.*

Cap. XV.

Omnes huius capitis sententiae ex Aristotele sunt haustae**). *Εἰ δ' ἐστὶ .... συνεχῆ .... ὧν τὰ ἔσχατα ἕν, ... ἀδύνατον ἐξ ἀδιαιρέτων εἶναί τι συνεχές.* Et paulo post: *τὸ γὰρ συνεχὲς ἔχει τὸ μὲν ἄλλο τὸ δ' ἄλλο μέρος, καὶ διαιρεῖται εἰς οὕτως ἕτερα καὶ τόπῳ κεχορισμένα.* Idem de tempore et motu statuitur***): *Τούτων δ' ὄντων ἀνάγκη καὶ τὸν χρόνον συνεχῆ εἶναι. λέγω δὲ συνεχὲς τὸ διαιρετὸν εἰς ἀεὶ διαιρετά.* Quod de tempore valet ad motum etiam spectat †): *εἰ οὖν τὴν ὅλην (κίνησιν) ἐν τῷ παντὶ χρόνῳ κεκίνηται, ἐν τῷ ἡμίσει ἐλάττω, καὶ πάλιν τούτου διαιρεθέντος ἐλάττω ταύτης, καὶ ἀεὶ οὕτως. ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κίνησις διαιρετὴ καὶ ὁ χρόνος διαιρετός.* —

Arabs, qui in capite antecedente vacuum omnino negavit, sibi contradicere videri potest, quum hoc loco dimensionem in vacuo et pleno infinitam desiderari contendat, ergoque et plenum et vacuum ponat. Sed

---

*) De coel. I, 2.
**) Phys. VI, 1.
***) Ibid. 2.
†) Ibid. 4.

facile est intellectu, Alfarabium hic non nisi προβληματικῶς de vacuo loqui. Causae, cur in neutro spatio dimensio infinita reperiri queat, ab Alfarabio diserte quidem non exponuntur, quum autem haec omnia plane Aristotelem prodant, qui per integrum librum IV. phys. aliisque locis multis hanc intricatam quaestionem tractavit, illas ex ipso hoc auctore facile tibi potes colligere et supplere. —

Motum circularem solum esse continuum, utpote qui finem semper cum initio copulet, ab Aristotele prolixius recensitum est*) Tempus cum hoc motu circulari cohaerere ex eodem sequitur auctore, nam ipse ait: ὅτι μὲν τοίνυν ὁ χρόνος ἀριθμός ἐστι κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον, καὶ συνέχης (συνεχοῦς γάρ), φανερόν. Causae, cur motus recti non possint esse continui, ab Aristotele**) pari atque ab Arabe modo expositae sunt. Spatium enim mundi non est infinitum, motus igitur rectus ad terminum quendam perveniat oportet, quum tunc vero aut in se ipsum reflectatur, aut angulum conficiat, necessario eo tempore quies exsistit, quo haec reflexio, si ita dicere licet, vel conversio perficitur

Cap. XVI.

Doctrinam de rerum loco et figura in hoc capite expositam cum Aristotelis de his argumentis sententiis non solum congruere, sed etiam prorsus ex illo excerptam esse, omnibus patet. φέρεται γὰρ, inquit Stagirita, ἕκαστον εἰς τὸν αὑτοῦ τόπον***). — Locum et figuram rerum unius eiusdemque speciei esse oportere, quisque sane intelliget et Aristoteles diserte dicit: τὸ δ' εἰς τὸν αὑτοῦ τόπον φέρεσθαι ἕκαστον τὸ εἰς τὸ αὑτοῦ εἶδός ἐστι φέρεσθαι †). Mundum globi figuram habere Aristoteles statuit tum quia universum motu circulari fertur, tum quia sphaerae figura omnium est perfectissima. Etiam Avicenna mundi figuram globosam esse affirmat. Nam

---

*) Phys. VI, 10. VIII, 8. de gen. et cor. II, 10 etc.
**) Phys. VIII, 9.
***) Phys. IV, 1.
†) De coel. IV, 3.

(Met. ed. Rom. pag. 37.) diserte ait: فيجب ان يكون الكل كرة واحدة »Mundus igitur universus unus sit globus oportet.« Idem hoc inde colligit, quod simplicia, ex quibus mundus constat, corpora sphaerae instar formata sunt. —

Vis, qua quodque corpus concitatum per se moveri exorditur, non est vis activa, sed passiva, quum ex initiorum, quibus praecipue compositum est, qualitate pendeat: quodsi enim corpori composito plurima insunt gravia initia, illud quoque ad inferum, sin levia ad superum tendet locum, ut supra iam dictum est. cf. cap. XII.

Corporum varietatem a vario variorum principiorum motu et materia pendere, antea iam est expositum.

Singulari cum vi, cuius causam non intelligo, duo loca esse uni corpori negat Arabs, quum (ut in cap. XX.) negationem bis repetierit.

Extra mundum nil posse deprehendi eodem argumento ab Aristotele*) contenditur, quod fortasse Alfarabium non minus quam Aristotelem permovit, ut vacuum spatium plane negaret. cf. cap. XIV. — Postrema huius capitis sententia de loco, quem corpus petat, ex Aristotele plane descripta est**).

Cap. XVII.

Quum coelum universum nec corrumpi nec incrementa capere possit, statuit Aristoteles quintum elementum ceteris prius et divinius, gravitatis aeque ac levitatis expers. Ex hoc perpetuo et immutabili initio corpora coelestia sunt composita, idemque ab Aristotele αἰθήρ vocatur***). Tofailius etiam aetherem sive quintum initium commemorat, illumque stellarum elementum esse contendit†). Hoc quintum initium apud nostrum auctorem peculiari nomine non gaudet, sed

---

*) De coelo I, 9.
**) Ibid.
***) De coel. I, 3.
†) Philos. autodid. ed. Pocock. pag. 135.

simpliciter *quinta natura*, vel a posteris *quinta essentia* vocatur, quod vocabulum nostro etiam tempore unamquamque rem genere praestantissimam denotat. De aethere, qui ab Aristotele non nisi in spurio libro *de mundo* tanquam πρῶτον et τὸ ἄνω στοιχεῖον atque ἕτερον σῶμα πύρος τε καὶ ἀέρος initiis annumeratur, vide *Osannium**). Omnia vero, quae de hoc initio auctor noster exposuit, ad genuinam Aristotelis sententiam tam bene quadrant, ut eum in conscribenda hac commentatione illius libri nullam rationem habuisse multo cum iure statuere possimus. Ceterum manifestum est, vocabulum فلك (orbis coelestis) per totum hoc caput non singularem et certum quendam orbem, sed integrum coelum denotare quatenus oppositum sit terrae mutabili et corruptibili. — Subsequens sententia de orbis coelestis exsistentia et conditione non plane ab Aristotele hausta est, sed Neoplatonismum iterum prodit. Res perfectior propter aliud quoddam magis imperfectum non potest exsistere: quum tamen creatura imperfectior a perfectiore prodeat, hoc aliunde derivandum est. Perfectior nimirum intellectus, ut magis etiam fiat perfectus, movetur, accidentia in illo apparent, quae, cur minus perfectus oriatur intellectus, causae sunt, quemadmodum in cap. VII. et IX. vidimus. Quum vero singuli intellectus, quo magis a primo principio remoti sunt, imperfectiorem huius habeant cognitionem, notio quoque, quam de summo principio tenent, magis vel minus est perfecta, itaque desideratum iis apparet diversum, quamquam, quod pernoscere gestiunt, unum idemque est. Corporum coelestium vis motoria infinita est, quia orbiculari motu, quem continuum esse supra didicimus, feruntur; res terrestres contra recta via cientur, quapropter earum vires corpus perpetuo movere nequeunt.

Corpus per se nihil potest producere, quum omnia, quae fiunt, a motu procedant, motus autem tantummodo ab intellectu pendeat, cuius expers corpus non est nisi materia iners.

---

*) Beitr. zur Gr. u. Röm. Lit. Gesch. pag. 166. seqq.

Cap. XVIII.

Quae de virium modis exponuntur, merae etiam sunt repetitiones Aristotelicorum dogmatum. Ipse Stagirita ait: Ἐπεὶ δὲ τέτταρα διώρισται αἴτια τῶν στοιχείων, τούτων δὲ κατὰ τὰς συζυγίας καὶ τὰ στοιχεῖα τέτταρα συμβέβηκεν εἶναι, ὧν τὰ μὲν δύο ποιητικά, τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν, τὰ δὲ δύο παθητικά, τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρόν*). Quas igitur Aristoteles activas appellavit vires, Arabs nominat *vires dispositionem ad actum necessariam tribuentes*, et quae ab illo *passivae* nuncupantur, apud hunc *vires dispositionem ad actum subeundum necessariam comparantes* audiunt. Nihilo minus autem Alfarabius discrimen statuit inter vires *activas* et *passivas*; sed in hisce Galenum aliosque posteriores Peripateticos magis secutus esse videtur quam Aristotelem ipsum, qui hanc distinctionem, quamvis ex eius placitis facile possit elici, nondum diserte agnovit**). — De singulorum elementariorum corporum natura et compositione Aristoteles eandem proposuit doctrinam: οὐ μὴν ἀλλ' ἁπλῶς γε τέτταρα ὄντα ἑνὸς ἕκαστόν ἐστι, γῆ μὴν ξηροῦ μᾶλλον ἢ ψυχροῦ, ὕδωρ δὲ ψυχροῦ μᾶλλον ἢ ὑγροῦ, ἀὴρ δ' ὑγροῦ μᾶλλον ἢ θερμοῦ, πῦρ δὲ θερμοῦ μᾶλλον ἢ ξηροῦ***).

Omnes res sensibiles ex variis horum elementorum temperationibus gigni et secundum initiorum formam et naturam inter se differre, ab Alfarabio iam saepius repetitum est.

Cap. XIX.

Temperies et qualitates elementorum mutabiles esse necessario sequitur ex materiae, qua constant, mobilitate et inconstantia. Rerum forma contra perpetua deprehenditur, quum, ex Aristotelis sententia, illa rerum genus sit, hoc autem genus in sempiterna vi motoria consistat. Mistionis etiam natura, quam auctor supra †)

*) Meteorol. IV, 1.
**) De gen. et cor. II, 2. 3. seqq.
***) De gen. et cor. II. 3. ad fin.
†) Cap. X. seqq.

iam indicavit, plane ad Aristotelis*) et Platonis doctrinam descripta est et determinata. —

Quod deinde sequitur de deo creatore dogma a genuina Peripateticorum philosophia omnino recedit et Mohammedanismum sapit, ita ut fere dixeris, Alfarabium sibi ipsi inconstantem fuisse, siquidem hoc loco de principiorum creatione loquatur, licet supra materiem statuerit aeternam. Ab hac inconstantia si Alfarabium liberare possimus, nil reliquum est, nisi ut statuamus *creationem* apud illum significare actionem aeternas formas cum aeterna materie componendi. Hic quidem sensus plerumque illi vocabulo non inest, quod, quemadmodum apud nos, actionem ex nihilo quidquam producendi designet; sed Alfarabius e consilio hac voce usus esse videtur, ut philosophiam cum religionis dogmatis conciliaret. — Tali modo emanationis systema, doctrina de mundi aeternitate et statuta religionis in hac commentatione coniuncta sunt, aut saltem conciliata videntur.

Hominem ex mistione omnium elementorum aequali temperiei proxima consistere, ab Aristotele, quantum equidem scio, non diserte est affirmatum, neque potuit affirmari, quum hic corpora eo praestantiora praedicet, quo magis ex elementis praestantioribus composita sint. Sed, utcunque hoc se habet, Arabs noster contra doctrinam mistionis non modo non peccavit, sed eam maiore etiam cum constantia sustinuit: quandoquidem homo tanquam creatura perfectissima etiam ex temperatione maxime perfecta consistat oportet. — Corporum animantium distributio secundum facultatem vegetandi, sentiendi et se sponte movendi in plantas, imperfecta, perfecta animalia plane ex Aristotele desumpta est, qui, quod nemo ignorat, singulis corporibus easdem vires tribuit.

Cap. XX.

Quemadmodum Aristoteles post expositas physicas

---

*) De gen. et cor. II, 10.
**) Timaeus pag. 56. seqq.

isciplinas φιλοσοφούμενα sua de anima praecipit, ita Al-
rabius quoque a psychologia qualicunque doctrinam
aturae excipi iussit. Idem non solum Aristotelis ordi-
em, sed etiam singularum animae partium distributio-
em in universum conservavit, nec nisi in paucis pla-
tis a Graeco auctore discessit. Quodsi animae vires ad
rabis sententiam in ordinem digeris, haec fere efficitur
bula:

. vires, quibus agimus, corporeis instrumentis adiuti:
  I. vires vegetales:
    1. nutrientes.
    2. augentes.
    3. generantes.
  II. vires sensitivae:
    a. vires externae, sive quinque sensus.
    b. vires internae, sive sensus interni modi:
      1. imaginatio.
      2. informatio.
      3. recordatio.
      4. cogitatio.
  III. vires motoriae:
    1. vis appetitiva.
    2. « irascibilis.
    3. vires membra moventes.

. vires, quibus agimus, nullo corporis instrumento intercedente:
    1. intellectus theoreticus.
    2. « practicus, qui manifestatur his gradibus:
      a. materialis.
      b. recipiens.
      c. receptus.
      d. agens.

Aristoteles, licet divisiones et distributiones non
m latas, quam Alfarabius, instituerit, animae tamen
ires in universum pari modo disposuit: 1. τὸ θρεπτικόν,
τὸ αἰσθητικόν, 3. τὸ κινητικὸν κατὰ τόπον, 4. τὸ νοητικόν,
uae quatuor partes singulae novam iterum subeunt
istributionem. Ad vegetalem enim virtutem pertinet

τὸ αὐξητικὸν et *τὸ γεννητικόν*. Sensitivac facultati annumeranda sunt: 1. perceptio quinque sensibus oriunda, 2. sensus communis, 3. *φαντασία*, 4. *νόησις* sive *διανόησις*, 5. *ἀνάμνησις*, 6. *μνήμη*. In his igitur Alfarabius non multo ab Aristotele discedit, praeterquam quod *τῆς μνήμης* loco informationem statuit. Sed de his singulis iam disputandum est, quum quod informationem attinet difficultas haud levis oriatur. Stagirita *τὴν μνήμην* ita descripsit*): *δῆλον γὰρ ὅτι δεῖ νοῆσαι τοιοῦτον τὸ γινόμενον διὰ τῆς αἰσθήσεως ἐν τῇ ψυχῇ καὶ τῷ μορίῳ τοῦ σώματος τῷ ἔχοντι αὐτήν, οἷον ζωγράφημά τι τὸ πάθος, οὗ φαμὲν τὴν ἕξιν μνήμην εἶναι* — Alfarabii وهم, quod non satis accurate *informationem* vertimus, in libro تعريفات ita definitur: الوهم وهو قوة جسمانية للانسان محلها اخر التجويف الاوسط من الدماغ من شانها ادراك المعانى الجزيلة المتعلقة بالحسوسات كشجاعة زيد وسخاوته وهذه القوة هى التى يحكم فى الشاة بان الذئب مهروب منه وان الولد معطوف عليه وهذه القوة حاكمة على القوة الجسمانية كلها مستخدمة اياها استخدام العقل القوى العقلية »Informatio vis est corporis humani, pone medium بأسرها ✿ cerebri ventriculum sedens, quae materiales percipit animae rationes rebus sensibilibus adhaerentes, v. g. Zeidi fortitudinem et liberalitatem. Eadem haec vis in ove deprehenditur, utpote quae lupum fugiat, ad parentem vero propensa sit. Illa omnibus corporeis viribus praeest, earumque opera eodem modo, quo intellectus cunctarum intellectualium facultatum ministerio utitur.« Iisdem fere verbis definivit Avicenna hanc animae facultatem (Phys. ed. Rom. pag. 45).

Qua ex definitione satis patet, hoc loco vocabulum *informatio* vel *apprehensio* non plane respondere τῷ وهم Alfarabii, quod plerumque *opinionem*, sive plane idem denotat, quod Graecum *δόξα*; sed vocem omnino congruentem in Latino sermone frustra quaerere nobis videmur. In libro Averrois, qui inscribitur »destructio destruetionis« idem vocabulum et plane eadem eius definitio legitur**); sed versionis auctor hanc vocem

*) De mem. et remin. 1.

**) Tennemanni hist. phil. vol. VIII, pag. 407.

ibi interpretatus est: *virtus cogitativa*, quod, ut ex definitione patet, magis etiam quam *informatio* a propria significatione recedit. Cl. *Hammerus* (?), metaphysices ab Adhaeddin Alidschi compositae censor*), vocem الوهمية (sic enim legendum pro الوهبية), quae prorsus pari notione praedita est ac الوهم, vertit *instinctum*, quod, licet magis quam *virtus cogitativa* quadrare videatur, tamen non plane respondet, uti ex exemplis, in definitione propositis, videre licet.

De sensu communi, quem apud Alfarabium non commemoratum legimus, postea disputabimus.

Vires, quod attinet, motorias ipse Aristoteles facultatem ὀρεκτικὴν iam distribuit in ἐπιθυμητικὸν et θυμικόν, quibus etiam adiungit κινητικὸν κατὰ τόπον, ita ut de his inter utrumque auctorem non magna dissensio deprehendatur.

Hoc igitur capite vires, quibus agimus corporeis instrumentis intercedentibus, expositae sunt. Ex Aristotelis mente nonnulla ex subsequente capite huc pertinerent, quum praeter τὸν νοῦν ποιητικὸν omnes facultates cum corpore arcte cohaereant. Ex Alfarabii autem sententia omnes in subsequente capite enumeratae facultates gradus tantum sunt intellectus practici, eaedemque hac ratione non corporeae, sed diversae tantum illius manifestationes deprehenduntur.

Integram hanc virium distributionem eodem fere modo apud Avicennam exstare ex Algazalii refutatione patet, quae ab Averroe nobis conservata et a Tennemanno**) prolixius recensita est. Idem Avicenna virium nutrientium etc. divisionem, ab Alfarabio indicatam, fusius exposuit. Nam vires naturales denuo distinxit in خادمة *ministrantes* et مخدومة *quae ministrantur*, quibus posterioribus annumerantur vires, ab Alfarabio commemoratae, nutrientes, augentes, generantes. Ad vires ministrantes autem pertinent: vis attrahens, retinens, immutans et eiiciens, quae a quatuor qualitatibus elementorum pendent***). احساس non significat: varii

*) Diurn. Litt. Lips. 1826. fol. 161—163.

**) Vol. VIII, pag. 407 seqq.

***) Sprengelii hist. medic. vol. II. pag. 426. et Avic. Phys. ed. Rom 43. seqq.

sensus interni, sed varii sensus interni modi, quemadmodum اكوان varia essentiae (كون) genera denotat.

In ultima sententia negatio, ut in capite XVI. bis posita est, quod, si simile subsequentis capitis enunciatum respicis, ita explicari potest, ut post وليس inserendum sit بلا جسم. —

Cap. XXI.

Animae facultatem intellectualem (τὸ διανοητικὸν) denuo distribuit Alfarabius, Aristotele duce, qui ipse intellectum in θεωρητικὸν et πρακτικὸν iam distinxerat. Νοῦς πρακτικὸς aliam divisionem subit, quum in νοῦν παθητικὸν et ποιητικὸν sive ἐνεργητικὸν disponatur. —

Intellectum agentem corpore mortuo superstitem manere, neque unquam ullam obire corruptionem prorsus Aristotelis est sententia, qui in lib. de anima III, cap. 5., (quod caput praeterea nostro loco haud una ratione simile est), idem dogma promulgavit.

Licet posteriora huius et prima subsequentis capitis vocabula satis obscura sint et intricata, quare plura uncis inclusa verba adiecimus, de vero tamen sensu non possumus dubitare, quum omnia cum Aristotelica doctrina satis conspirent. — واهب الصور (*principium*) *formas impertiens* est primus et summus intellectus agens, sive intellectus agens κατ' ἐξοχὴν, ex quo singuli hominum intellectus agentes procedunt. Averroes*) de creatione mundi loquens haec habet: »Istorum quidam dicunt, quod illud agens non est in materia omnino, et vocant ipsum datorem formarum, et Avicenna est de illis. — Unde quidam dicunt, quod omnes formae substantiales fiunt a forma abstracta extrinseca, quae dicitur a quibusdam dator formarum, et dicunt, quod haec est intelligentia agens.«

Tota facultatum animae distributio, in duobus his capitibus exposita, magna, ut vidimus, ex parte cum Aristotelis de anima doctrinis consentit, ubi autem ab his discedit, Neoplatonicorum placita redolet. Eandem

---

*) In libr. XII. Metaph.

hanc distinctionem non solum ab Alfarabio, Avicenna*), Averroe, ceterisque philosophis inter Arabes Peripateticis, sed etiam ab Adhaeddin Alidschi, qui saeculo decimo quarto floruit, conservatam invenimus. Hujus enim liber: كتاب المواقف, secundum cl. *Hammerum***) hanc praebet distributionem: Anima vegetalis manifestatur quadruplici modo: 1. الغاذية nutriens, 2. النامية crescens, 3. المولدة generans, 4. المصورة formans. Anima sensitiva deinde est 1. sentiens مدركة et 2. movens محركة. Facultas sensitiva denuo distribuitur in sensus externos ظاهرة et sensus internos باطنة. Ad externos sensus quinque pertinent sensus; interni sensus sunt: الحس المشترك (sic enim legendum pro المشرك) sensus communis, 2. الخيال secundum cl. *Hammerum*: imaginatio simplex, 3. الوهمية instinctus, (sed vide nostram not. ad cap. antecedens), 4. الحافظة recordatio, 5. المتخيلة secundum *Hammerum*: imaginatio composita. — Hoc loco igitur Aristotelis κοινὴν αἴσθησιν videmus, quam Alfarabius omiserat***). Quaenam autem sit differentia inter خيال et متخيلة equidem non video. خيال in libro تعريفات definitione †) gaudet, quam Latine vertere iuvat: »Imaginatio illa est vis, quae, materie rerum sensibilium remota, earum formas a sensu communi perceptas ita conservat, ut sensui communi, quandocunque ad ipsas convertitur, praesentes sint. Illa receptaculum est sensus communis, atque in primo cerebri ventriculo partem occupat extremam.« Hac ex definitione manifestum est, خيال non esse nisi imaginationem *reproductivam*, quam vocant, quam ob causam متخيلة *productivam* denotare videtur. Quae differentia eo probabilior fit, quum, quam liber تعريفات affert, definitio mecum facere videatur. »متخيلة illa est vis, quae in formis sensibilibus et notionibus particularibus

*) Cf. Phys. ed. Rom. pag. 43. seqq. ubi eadem fere distributio, licet fusius et prolixius exposita, legitur.

**) ١. I.

***) Plura de sensu communi exposuit Avicenna Phys. ed. Rom. pag. 45.

†) Cf. *Freytagii* lex. s. v.

ab illis (formis) desumptis versatur, quas modo copulat, modo disiungit. Haec vis... quando libere usurpatur ab informatione (تصوير) in rebus sensibilibus vocatur متخيلة." Magis etiam hoc elucet ex definitione vocis متصرفة, in eodem libro exposita. Hoc nimirum vocabulum plane idem quod متخيلة designat. »Illa vis formas et notiones libere componit et disiungit, ita v. g. hominem duobus capitibus vel duobus alis praeditum sibi effingit cet.«

Ad explicandas diversas intellectus manifestationes operae pretium me facturum esse puto, si totam libri تعريفات*) definitionem Latine convertam:

»Intellectus est substantia per se ipsam continuitatis expers, in actu autem illi adiuncta, anima videlicet rationalis, quam unus quisque significare vult, quando dicit: *Ego*. — *Intellectus materialis* mera facultas est intelligibilia comprehendendi, meraque est potentia rationi haud obnoxia, qualis in pueris deprehenditur. Materialis nuncupatur, quia anima in hac conditione similis est materiae, quam forma ceterisque (notis) omnibus destitutam definimus. — Vocabulum عقل (intellectus) derivatum est a constringendo (عقل) camelo: constricti enim impediuntur, quominus a recta via deflectant. Proprie autem denotat substantiam abstractam, quae intercessione insensibilia, perceptione sensibilia comprehendit. — *Intellectus recipiens* necessariarum rerum est cognitio et animae facultas hanc, qua res theoreticas attingat, sibi comparandi. *Intellectus* vocatur *agens*, quando notitiis iam comparatis repetendis res theoreticae intellectuali vi ita asservantur, ut, quandocunque volumus, licet in actu non sentiantur, levi negotio provocari possint. — *Intellectus receptus* in rebus, quae comprehenduntur, theoreticis ita apparet, ut abesse nequeat.« Idem fere statuit Avicenna (Phys. ed. Rom. pag. 46).

Cap. XXII.

Huius capitis non nisi primae sententiae ex Aristo-

*) l. l. s. v. عقل

telis mente sunt. Omnia cetera ad orthodoxam Mohammedanorum fidem ita confecta sunt, ut, nisi posteriores Aristotelis commentatores similia iam protulissent placita, fere dixeris, Alfarabium philosophiam Aristotelicam cum popularium fide consociare hoc capite summopere studuisse. Idem philosophus, qui paulo antea *intellectum agentem* post corporis mortem superstitem praedicavit, nunc affirmat, *animam* perpetuam esse et, a corpore seiunctam, percepturam fore vel miseriam vel beatitudinem: quae utraque sententia secundum Aristotelem contradictoria est. Sed cave, ne Arabem sibi inconstantem esse, ideo statuas. Iam supra memoravimus, omnes intellectuales vires ab Alfarabio intellectui practico annumerari, qui has tanquam peculiares suae exsistentiae modos manifestet. Intellectus his modis instructus eiusdem modi est, qualem et Christianorum et Mohammedanorum theologi et philosophi post mortem superstitem praedicant animam, ens scilicet a sensuum actionibus, ab affectibus et passionibus liberum, infinito per intelligentiam suam gaudio fruens et ex intelligentiae inopia acerbos dolores capiens. —

Prima, ut iam diximus, sententia*) prorsus Aristotelica est Nam hic λείπεται δὲ, inquit, τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐθὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνεργεία. πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων **). — Materiem aetheream, quae prima vitae et animae est manifestatio, non ignem, sed spiritum quendam elementis praestantiorem et corpori, ex quo stellae constant, similem esse, ipsi veteres Peripatetici iam docuerunt***). Spiritum hunc vitalem, quem

*) Quaenam sit differentia inter vocabula: جرم, جسد, جسم et بدن, quae omnia *corpus* significant, apud *Freytagium* videsis. Equidem solum moneo, Latinum versionis meae vocabulum *corpus* in primis octo huius capitis lineis non plane respondere Arabico بدن, quum hoc potius et *rudem corporis molem* et *corpus exanime* designet.

**) De animal. gen. II, 3.

***) Ciceronis Acad. I, 7.

Aristotcles*) πνεῦμα σύμφυτον nuncupavit, in medio cordis exstare, idem auctor pluribus locis diserte affirmat. Nam (l. l.) ἐπεὶ δ' ἡ ἀρχὴ, inquit, τοῖς μὲν ἐν τῇ καρδίᾳ τοῖς δ' ἐν τῷ ἀναλόγῳ, διά τοῦτο καὶ τὸ πνεῦμα τὸ σύμφυτον ἐνταῦθα φαίνεται ὄν. Idem ait**): ἀλλ' ἥ γε τῆς θρεπτικῆς ἀρχὴ ψυχῆς ἐν τῷ μέσῳ τῶν τριῶν μορίων (in medio sc. pectore) καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν οὖσα φαίνεται καὶ κατὰ τὸν λόγον. — Eandem de spiritu vitali sententiam posteri Arabum philosophi professi sunt. Ita v. g. Tofailius***): »Hic«, inquit, »e numine supremo emanans spiritus vitalis cum aëre tam intime consociatur, ut et sensu et ratione ab illo vix discerni queat.« Idem philosophus†) pergit: »Spiritus vitalis, in corde sedens, omnium elementorum medius est, ita ut neque ullum ei obsistat, neque eius vim repugnet: ille enim terra est et aqua subtilior, igne et aëre densior, quo fit, ut ad vitalem animae formam induendam aptus reddatur.« Quibus cum locis componas Aristotelis placita, de part. animal. II, 1. et 7. etc. et Avic. phys. ed. Rom. pag. 51. seqq.

Animae ante corpus exsistentiam, quam Plato††) atque omnes, qui μετεμψύχωσιν profitebantur, statuere, a nostro auctore refutatur, licet idem statim subinde Neoplatonicorum et quadam ratione ipsius Platonis de animae perpetua vel miseria, vel beatitudine doctrinam profiteatur. Sed hoc eapropter factum est, ut sua dogmata philosophica cum Alcorani praeceptis et statutis conciliaret. Nam primis, quum in philosophiam incumbi coeptum est, temporibus Arabes docti philosophiae placita cum fidei suae doctrinis congruentia reddere summopere studebant, quod praecipue ex hac quoque commentatione videri licet. Paulatim vero quum et aliae opiniones innotescebant, et Mohammedani in varias sectas discedebant, diversissima etiam philosophorum dogmata in usum venere. Minime igi-

*) De animal. mot. 2.
**) De iuv. et senect. 2.
***) Philos. autodid. pag. 35.
†) Pag. 135 et passim.
††) Phaedr. pag. 245. τοῦτ (anima sc.) δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι, οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν.

tur admirandum est, vetustissimam μετεμψυχώσεως doctrinam, quam non solum Pythagoras et quodammodo quoque Plato, sed etiam Aegyptii, Indi, alii excoluerant et propagaverant, inter Mohammedanos defensam et elaboratam fuisse. Quod enim Plato*) de animae transmigratione in foeminas, aves, animalia terrestria et aquatilia statuit, postea inter Mohammedanos longe subtilius excultum et multa saecula ante Platonem in India iam expolitum fuit. Sed in universum cuncta emanationis et evolutionis systemata, quibus omnibus μετεμψύχωσις communis est, primarie ex uno manavisse videntur fonte, cuius origo vel in Aegypto quaerenda vel in India, duabus terris, de quarum interno nexu et singulari in rebus theologicis et philosophicis similitudine ad hodiernum usque diem inter doctos non constat. — Etiamsi, quod viri quidam docti statuere, nunquam Pythagoras vixerit, doctrina tamen, quae sub eius nomine circumfertur, haud dubie ex Aegypto derivanda est, et fama, Pythagoram ibi a sacerdotibus edoctum fuisse, certo non est mera fabella, si Aegyptiorum spectas doctrinas genuinis Pythagoricis simillimas. Apud Indos eandem doctrinam valde excultam esse, nemo non novit. At animae etiam originem et finem eiusque facultates eodem fere, quo in hac commentatione, modo descriptas et distributas invenimus: non de posterioribus loquor Vedantistis, qui in omnibus fere praeceptis et doctrinis mirandum in modum cum ceteris emanationis defensoribus conspirant, sed de ipso Manu, apud quem et simillima animae virium distributio et eadem emanationis principia satis fuse et clare leguntur**). Ipsa mera nomina sufficiunt ad monstrandam similitudinem inter Indicam et posteriorum Mohammedanorum***) de transmigratione animae doctrinam. معساد (sic enim legendum pro معال) finalis est in divinam essentiam reditus, apud alios سكونة quies in deo et intima absorptio in summum numen, quae ab Indis निःश्रेयस vel मोत्त vel निर्वृति appellatur. Animae migratio in viliora corpora

*) Timaeus pag. 90 seqq.
**) Manus leges lib. XII, 12. seqq. et passim.
***) Cf. *Hammerum* in diurn. litt. Lips. 1826. fol. 163.

humana vocatur نسخ, ab Indis अन्त्यातिता; in corpora animalium مسخ, Indis पक्षिमृगता; in plantas رسخ, et in lapides فسخ, quae utraque species ab Indis nuncupatur: स्थावरता. Singulae hae migrandi species apud Indos denuo in tres classes distinguuntur*). — Secundum Aegyptiorum etiam statuta animae post corporis mortem in homines, bestias, plantas et lapides transmigrabant**). Non minus notum est, posteriores Rabbinos eandem doctrinam pari cum subtilitate excoluisse. Quid multa? Doctrina de anima in lapides, plantas, bestias migratura nostris denuo temporibus proposita est et defensa***). —

Sed iam ad Alfarabium nostrum redeamus. Doctrina, in vita futura praemia et poenas ex necessitate tribui, praedestinationem Mohammedanam redolere videri potest, quamvis hunc locum aliter quoque explicare licet. —

Exemplum, quod Alfarabius de corporis valetudine proposuit, sensu haud omnino planum est, nisi hoc sibi velit auctor: homines pravis operibus animae beatitudinem eodem modo perdere, quo noxiis cibis et incuria valetudinem corrumpant.

Quae de mali et boni nexu sequuntur, iterum Gnosticorum et Alexandrinorum placita produnt. Secundum enim Plotinum omni materiae malum necessario adiunctum est, quia malum in materia versatur†). Sed levem tantum vim exercuit haec doctrina in Alfarabium, quum non materiam deprimendam et suffocandam esse statuerit, sed potius creatorem laude evehendum censeat, qui paucis malis tam multa et magna bona adiunxerit.

---

*) Manus leg. lib. XII. 41 et passim.
**) Cf. Prichard egyptian mythology pag 344.
***) Blasche's philosoph. Unsterblichkeitslehre. Erfordiae 1831.
†) Idem docet Avicenna Met. ed Rom. pag. 79, ubi varii gradus boni et mali distinguuntur.

APPENDIX.

Valde memoratu dignum, nec nisi linguae et verbis ditissimae et mirandum in modum flexibili tribuendum est, Arabes cum adoptata Graecorum philosophia non simul nova et barbara vocabula invexisse, quod apud alios, qui incognitam quandam doctrinam ab alienigenis receperint, populos haud semel factum esse videmus. Perpaucae tantum Graecae voces, qualis est فلسفة φιλοσοφία, هيولى ὕλη cet. ab ipsis sunt usurpatae, licet ante Graecam philosophiam cognitam Arabica lingua ad res philosophicas nunquam adhibita fuisset. Nihilo secius tamen pleraque vocabula Graeca philosophiae propria ab illis apte reddita, verba composita, utpote a genio linguarum Semiticarum aliena, rarissime formata invenimus: immo paene dixeris, in Arabum sermone nimiam esse philosophicarum vocum copiam, quum inter multas vel levissima appareat vel nulla differentia, easque mere συνωνύμας habere cogamur. Quo maior vero talium vocum, quas technicas vulgo appellant, est numerus, eo difficilius distingui possunt, eoque maior in definiendis illis et interpretandis cura est ponenda. Quodsi autem diversam vocabulorum technicorum apud diversos philosophos vim indagare et perspicere per se iam est res aeque necessaria ac difficilis, haec in omnibus, quae ad Arabicam spectant philosophiam, plus etiam habet et necessitatis et difficultatis, quippe quum haec literarum Arabicarum pars a nostratibus parum vel nihil sit exculta, atque etiamnum omnino fere neglecta iaceat. *Freytagius*, vir doctissimus, in praestantissimo, quod omnes huius generis libros longe superat, lexico ut ceteris, ita huic quoque provinciae optime consuluit,

ac non solum multa vocabula philosophiae propria cum singulari industria et solita cura digessit, sed etiam ex libro تعريفات inscripto, plurium notionum attulit definitiones, quae quanti sint pretii nemo, qui in Arabum rebus philosophicis versatur, non facile intelliget. Attamen illa, quae ad vocabula variis disciplinis et artibus propria spectat, lexicographiae pars in universum perfecta et absoluta reddi nequit, nisi virorum, qui singulas disciplinas colunt atque elaborant, vires coniunctae paulatim id perficiunt, quod unius viri impigritati est denegatum.

At non solum ad perlustrandam philosophiam necessaria est technicorum vocabulorum notitia, sed etiam ad perspiciendos scriptores facundia et eloquentia eximios, qui saepenumero translationibus, immutationibus, allegoriis, aliis formis oratoriis e philosophia petitis sermonem suum exornare et variare conantur.

Operae igitur pretium facturus esse mihi videor, si quotquot ex hisce et nonnullis aliis, quae in codicibus saepe laudatis asservantur, commentationibus collegi vocabula, quam pauca sint, secundum radices enumerem, et sive Graeca Aristotelis verba respondentia sive Latinam interpretationem adscribam. Eorum plura quidem in lexicis iam memorata sunt, sed in his digerendis illam, quam in philosophia teneant, notionem accurate indicare, eaque ab aliis, quibus similis subest sensus, distinguere, meum praecipue esse censui.

تَأَثُّر praedicamentum, quod ab Avicenna decimo ponitur loco, ac plane idem est, quod plerumque vocatur انفعال *passio*, τὸ πάσχειν.

تَأْثِير nonum inter praedicamenta occupat locum, plerumque فعل nuncupatum, *actio*, τὸ ποιεῖν. cf. etiam font. qu. c. 19.

بِنَاء *figura* syllogismi, apud Arist. σχῆμα τοῦ συλλογισμοῦ. Av. log. vs. 161, 163, 165. Idem a شكل non differre videtur.

مبانى pl. idem quod antecedens significat log. 159.

بُعْد pl. أبعاد *dimensio* corporis in longitudinem vel latitudinem *vel altitudinem.* font. qu. c. 11. et c. 15.

بينة *corporalitas*, si Tertulliani uti licet vocabulo.

تمام *finis.* log. 202. inde سبب تمامي *causa finalis.*

جَدَل *disputatio* et *ars disputandi* log. 271.

مُجَرَّد *abstractus.* font. qu. cap. 6. not. Quod vocabulum, a cl. *Freytagio* iam explicatum, ea praecipue de causa adnotavimus, quia una haec vox iam demonstrat, quantam in philosophiam medii aevi vim Arabum philosophandi ratio exercuerit. Nam vocabulum *abstractus*, primo, quantum equidem scio, apud Nominalistas in usu est et plane verbo Arabico respondet, cuius radix جَرَدَ *abstraxit, detraxit* denotat. Quanto a مفارق discedat vide s. v.

اجمالي *generalis;* eius oppositum est تفعيلي *singularis.*

حُجَّة Golius hoc vocabulum idem quod برهان denotare contendit, quam sententiam equidem non satis rectam habeo. برهان est demonstratio (ἀπόδειξις) ipsa, حجة contra *argumentum* sive *materia* demonstrationis. log. 229.

حَدّ in philosophia duas tenet notiones: 1. *terminus* syllogismi (ὅρος). log. 145 cet. 2. *definitio* (ὁρισμός) ibid. 278. cet. ita ut Latina vocabula *terminus* et *determinatio* plerumque respondeant. Qua in re حد a تعريف differat vide s. v. تعريف.

مَحْسُوس *quod sensibus percipitur*, et generatim designat *universum mundum sensibilem*, quem vocant. log. 15. cet.

محصور *definitus*, qualis est enuntiatio, cuius subiecto signum quantitatis annexum est. log. 117. cet.

حُكْم pl. احكام *enunciatum* in universum, sed *enunciatum conclusionis* κατ' ἐξοχὴν denotare videtur. log. 190. cet.

حمل actio de aliqua re quidquam *praedicandi*, deinde *praedicatum* ipsum. log. 165 cet. Inde حملي κατηγορικός quod iam Freytagius adnotavit. Tum:

حامل *subiectum*, sive id, quod praedicato gaudet. log. 177. et محمول (iam a Freyt. receptum) *praedicatum*. log. 107. Rabbini eodem modo subiectum vocant נוֹשֵׂא, praedicatum vero נָשׂוּא.

محال et مُحَيل enunciatio falsa et inepta, *absurdum*. log. 188. font. qu. c. 3. cet.

خبر *enunciatio, iudicium* (πρότασις). log. 96. 143.

تخييل et تخيّل inter se non multo discrepare videntur. Attamen, si inter utramque vocem revera discrimen deprehenditur, ex font. qu. c. 10. hoc statuendum esse puto: تخييل actionem designat *imaginatione ideam falsam et depravatam amplectendi*; تخييل contra in universum actionem *imaginandi* denotat.

متخيلة ipsa est *imaginandi facultas*. Quanam ratione a خيال differat vide font. qu. c. 20. not.

ادراك للذاته *sui ipsius conscientia*, nostrum: Selbstbewuſstsein.

دليل 1. *exemplum, analogia* (παράδειγμα log. 193. not. 2. *demonstratio ostensiva* (ἀπόδειξις δεικτική). ibid. 236.

ذات a جوهر et ماهية ita differt, ut ذات 1. *essentiam*, 2. *totam internam* rei cuiusdam *naturam*; جوهر *substantiam*; ماهية *substantiae qualitatem*, sive, ut Scholastici dicunt, *quiditatem* denotet.

رسخ apud metempsychosis auctores denotat *animae* post corporis mortem *transmigrationem in corpora, quae non sponte moventur*, praesertim in *plantas*. font. qu. c. 22. not.

ركن pl. اركان *subtilia rerum initia*, quae elementorum (عناصر) densiorum substantiam conficiunt, eorumque qualitatem constituunt. Illa merae sunt qualitates materiei primariae, dum عناصر ipsae deprehenduntur materiae. font. qu. c. 10. not.

سبب, quod cum علة saepissime confunditur, secundum meam quidem sententiam proprie *rationem* vel *principium* alicuius rei, علة contra *causam*, praecipue *causam accidentem* et *ansam* denotat. In universum autem eadem inter haec vocabula differentia intercedere mihi videtur, quae est inter nostrum *Grund* et *Ursache*, quibus verbis nos quoque haud semel pari utimur significatione.

سب si quaedam exstat differentia inter سبيل et طريق, haec ita mihi statuenda videtur, ut سبيل potius *modum* et *rationem* significet; طريق contra *methodum* συστηματικὴν et *certam*, qua quis in disquirendo incedat *viam*. Utraque autem vox saepissime promiscue est adhibita.

سَفْسَدَ *argumentatio sophistica*. cf. *Freyt.* s. v. Avic. log. 226. not.

سَلَبَ *negavit, negativus f.* log. 120. cet. Inde سَلْب *actio negandi*. log. 136. et سالب *negativus*. log. 108. cet.

س *signum quantitatis* log. 123. et not.

شَخْص *persona, individuum*, unde شخصي quod ad individuum spectat, *singularis*. log. 113. cet.

اشتق cf. تعريف.

شَكْل *figura* syllogismi cf. بناء.

تصديق *probatio, verificatio*, si ad verbum ita vertere licet. A demonstratione (برهان) ita differt, ut برهان certam syllogismis et conclusionibus effectam probandi rationem, تصديق contra in universum omnem, cuiuscunque est formae, rei confirmationem et ipsam confirmandi actionem designet. log. 276. font. qu. c. 1.

متصور *imaginatio productiva*, plane idem quod متخيلة cf. font. qu. c. 21. not.

اصلاح الاخلا proprie *correctio morum*, apud philosophos speciatim denotat *ethicen*. Alfar. isag. c. 2, 3. cet.

صو plane respondet Latinorum *formae*, et, sicuti hoc vocabulum, *speciem* quoque rei i. e. primarium exemplar, secundum quod res sunt creatae (*ἰδέαν*) significat.

تصو *notio, conceptus*, a معنى ita differre videtur, ut تصور proprie *actum concipiendi* et *comprehendendi*, معنى vero id designet, quod post hunc actum de re aliqua animo nostro inhaeret. Deinde autem تصور solum ad res pertinet, quae sub sensus cadunt, et quae ita sunt conceptae, ut compre-

10

hensio circa *formam conspicuam* versetur, dum معنى ad substantiam ipsam spectat. Ita v. g. de deo non habemus تصورًا sed معنى tantum.

مضاف et اضافة, quartum significant Aristotelicum praedicamentum, *relationem*, τὸ πρός τι. log. 81.

طرف dual. طرفان duae syllogismi partes extremae, quae terminum medium includunt et ab Aristotele τὰ ἄκρα τοῦ συλλογισμοῦ, a Latinis *extremitates* vocantur. log. 147.

طريق vide سبيل.

تعريف *definitio*. Quodsi altiorem vocabulorum تعريف, حد et اشتقاق differentiam petis, haec ex mea sententia ita est statuenda: تعريف est illa vocis cuiusdam explicatio, quae notionis huic voci inhaerentis summam eatenus exponit, quatenus opus est, ut, quid illa voce significetur, sciamus. حد contra illius, quae certa voce significata est, rei essentiam eiusdemque cum aliis rebus nexum et relationes nos edocet. اشتقاق denique mera est significationis, quam vocabulum quoddam tenet, ex eiusdem vocis sensu primitivo derivatio. Unde patet, تعريف respondere nostrae *definitioni nominali*, حد *definitioni reali*, اشتقاق *definitioni verbali*.

عَكْسٌ in logica designat *conversionem*, i. e. subiecti cum praedicato, antecedentis cum consequente commutatio.

معلومات, quod apud Avicennam (Phys. et Metaph.) saepenumero legitur, *cognitiones*, *scientiae*. font. qu. cap. 10. not.

عنصر pl. عناصر vide ركن.

معنى vide تصور — معنى من كونه *notio a priori*, quam vocant.

عين verus enunciati cuiusdam est valor, sive, ut dialectici dicunt, *enunciati qualitas*, quae utrum propositio sit affirmativa an negativa ostendit. log. 172.

اعيان saepe idem quod عين denotat. log. 240. cet., sed interdum est: 1. *essentiae bonitas* (Aechtheit und Gültigkeit), 2. *realitas*, quam vocant.

مفارق *materiae non particeps nec ea egens*, *per se ipsum se manifestans*. Proprie enim vocabulum

لما ذا omissum est, quod idem interdum etiam apponitur.

فَسْخ *animae post corporis mortem in lapides transmigratio.* font. qu. cap. 22. not.

فِعْل plane respondet Aristotelis ἐνεργείᾳ, et بالفعل formulae κατ' ἐνέργειαν, quod medii aevi philosophi ad verbum verterunt: *in actu.* العقل بالفعل *intellectus agens.*

فلك *coelum.* font. qu. cap. 17. not.

فيض *emanatio*, quam copiosius explicavit auctor libri تعريفات apud Freyt. s. v.

قدم *exsistentia originaria*, quam vocant.

قديم *ens, quod ab omni aeternitate exsistit.* Vocabulum قديم, si tanquam adiectivum alii nomini apponitur, huic eandem notionem adiungit, quae nostra syllaba *Ur*, nominibus praefixa. Ceterum cf. lib. تعريفات apud Freyt. et Tholuckii Sufismus pag. 194.

اسْتِقْرَاء *inductio*, ἐπαγωγή. log. 191.

اقتران *copulatio, coniunctio*, deinde *consequentia directa.* log. 142. cet.

مُقْتَضَى pl. مقاصد *propositio*, *enunciatio.*

ققنس κύκνος, *cygnus.* log. 71. not.

مقولة *praedicamentum* κατηγορία. log. 75. inscript.

قوة prorsus idem est quod Aristotelis δύναμις. — بالقوة κατὰ δύναμιν, quod Scholastici interpretati sunt: *in potentia.* cf. بالفعل. Quae dictiones novo probant argumento, quantam vim Arabicorum librorum interpretatio verbalis in medii aevi rationem philosophandi habuerit. Nam formulae *in potentia* et *in actu* Arabicis vocabulis ad verbum tam accurate respondent, ut nequaquam credere possimus, primos Scholasticos, si ipsum Graecum Aristotelem legissent, vocabula κατὰ δύναμιν et κατ' ἐνέργειαν hoc modo interpretatos esse.

قياس 1. *comparatio* log. 81. 2. *ratiocinatio.* ibidem 140. cet., quam utramque significationem iam Freytagius diserte exposuit.

كَمِّيَّة *quantitas*, secunda Aristotelis categoria, ποσότης.

مکمم *quantitativus*. log. 156.

کون a وجود ea ratione differre videtur, ut vox prior proprie denotet: 1. τὸ γίγνεσθαι (fieri). 2. *caducam* corporum corruptibilium *essentiam* vel *essentiam accidentem*. Pl. اکوان diversi sunt essentiae antea descriptae modi et conditiones. — وجود contra significat 1. *exsistentiam*, 2. *aeternam et abstractam essentiam*. عين et اعيان (vide supr.) ab utroque hoc vocabulo ita discedunt, ut *essentiae qualitatem* et *realitatem* designent, qua de causa posterius etiam cum prima τοῦ وجود significatione confunditur.

کاين (vide کون) *creatura*, i. e. ens generatum et corruptibile (τὸ γιγνόμενον); موجودة vero ens sensu Metaphysico (τὸ ὄν).

كيفية *qualitas*, tertia Aristotelis categoria, ποιότης.

لا Haec particula negativa apud philosophos interdum cum substantivo ita componitur, ut cum illo plane coalescat atque unum, idemque vocabulum efficiat. Ita apud Avicennam legitur, اللاتناهى, اللانهاية, اللاوجود, اللاكون. cet.

لفظ pl. الفاظ *vox simplex*, ἁπλῆ φωνή, quam dialectici Peripatetici vocant, quales sunt: genus, species, cet. log. 50. 73 cet.

لمّية (a لم pro لما) *causa commovens*, τὸ διότι Aristotelis font. qu. c. 6.

تمثيل *analogia*, παράδειγμα. log. 193.

مادّة pl. موادّ *materies*, interdum cum هيولى confunditur, sed plerumque ab hoc ita differt, ut هيولى omne, quod sub sensus cadit in universum, مادة contra peculiarem singulorum corporum materiem denotet: quo fit, ut vocabuli هيولى numerus pluralis non deprehendi videatur. Adiectivum autem nunquam a مادة, sed semper ab هيولى formatum invenimus.

مسخ *animae in animalium corpora transmigratio*. font. qu. c. 22. not.

معية (a مع) *communio*, essentia, quam plures participant.

عقل بالملكة *intellectus recipiens*. font. qu. c. 31.

امتناع *privatio*, *negatio*.

ماهو saepissime tanquam unum vocabulum (ex ما et هو compositum), considerandum est, quod Hebraici etiam Arabicorum philosophorum interpretes scribunt מַהוּ ex מַה et הוּ. Idem plane respondet Aristotelico τό τι. Ex eodem hoc vocabulo derivatum est substantivum:

ماهية a Rabbinis מַהוּת conversum, quod eandem, quam antecedens adiectivum tenet notionem. Accurate respondet Scholasticorum vocabulum barbarum: *quiditas*, quod decimo tertio demum saeculo in usum receptum et primum introductum esse videtur a Vincentio Bellovacensi eiusque aequalibus: illo ergo tempore, quum Arabum libri magis magisque innotuere. Unde facile patet, barbarum hoc vocabulum non a versionibus ex Graeco in Latinum sermonem confectis, sed ex Arabicis libris barbare translatis profectum esse, quod magis etiam fit perspicuum, si utriusque vocabuli derivationem respicis. — Pro ماهية interdum, licet rarius, etiam legitur: مائية, sed num aeque recte dubito.

نتج *conclusionem confecit, collegit*. log. 152. cet. Inde:

منتج *quod conclusum est*. log. 166. et

نتيجة *conclusio*. log. 146. cet. quod Golius iam adnotavit.

نسخ μετεμψύχωσις et speciatim *animae in corpora humana transmigratio*. font. qu. c. 22. not.

نطق et ناطق proprie *loquendi facultas* et *loquens*, in omnibus exemplis idem denotant, quod nostrum *ratio* et *rationalis*.

مناظر Alf. isag. c. 2. pluralis esse videtur a منظرة, quod, ut locus ille docet, parem tenet significationem, atque alias منظار speculum κάτοπτρον.

نظم *enunciatum conclusionis*. log. 166.

نعت pl. نعوت *praedicamentum*, κατηγορία. log. 75. 91.

نقيض in logica denotat *oppositum*, ἀντικείμενον sive ἀντίθεσις. log. 132.

مُهْمَلٌ *indefinitus*, v. g. قول مهمل *oratio indefinita*, ei contraria est محصور log. 117.

واجب 1. *necessarius*, 2. *affirmans*. Inde:

اوجب *affirmavit* sive *affirmativum reddidit*, et

ايجاب *affirmatio*. log. 118. cet.

موجب *affirmativus*. log. 137.

وجود cf. كون — وجودى omne, quod ad exsistentiam pertinet.

مُتَّصِلٌ 1. *continuus*. log. 104. 2. idem significat, quod نظم, *enunciatum* sc. *conclusionis*. log. 178.

موضوع *subiectum*, de quo verba fiunt. log. 152. Interdum autem *obiectum* significat, ita ut ad derivationem etiam Graecum ὑποκείμενον plane respondeat.

تال pl. توالى in log. *consequens*, cuius *antecedens* مقدمة audit.

وهم pl. اوهام 1. *opinio*, praesertim falsa, δόξα. log. 199. cet. 2. *informandi, apprehendendi facultas*, font. qu. c. 20. not.

لم يكن للخيرات الكثيرة دائمة وان فات للخير الكثير الذي
يصل الى ذلك الشيء لاجل اليسير من الشر الذي لا بد منه كا
الشر حينئذ الكثير والسلام ۞

تمت الرسالة ۞

Ex officina Francisci Baadeni Bonnensis.

العقل مراتب (*يستنبط يكون مرة هيولانيا ومرة عقلا بالملكة ومرة عقلا مستفادا، وهذه القوى التى تدرك المعقولات جوهر بسيط وليس بجسم ولا يخرج من القوة الى الفعل ولا يصير عقلا تاما الا بسبب عقل مفارق وهو العقل الفعال الذى يخرجه الى الفعل ولا يجوز ان يكون المعقولات منحصرة فى شىء متجزء او ذى وضع وهو مفارق للمادة يبقى بعد موت البدن وليس فيه قوة قبول الفساد وهو جوهر احدى وهو الانسان على الحقيقة وله قوى منه ينبث فى الاعضاء وظهوره من واهب الصور يكون عند ظهور الشىء الصالح لقبوله،

٢٣ وهو البدن فحينئذ يستحق الظهور، وذلك الشىء هو الجسد والروح الكائن فى ضمن القلب من اجزاء البدن وهو الموضوع الاول للنفس ولا يجوز وجود النفس قبل البدن كما يقول افلاطن ولا يجوز انتقال النفس من جسد الى جسد كما يقوله التناسخيون وللنفس بعد (**موت البدن سعادات وشقاوات وهذه الاحوال متفاوتة للنفوس وهى امور لها مستحقة وذلك لها بالوجوب والعدل كما يكون انسان يحسن بتدبير صحة البدن فمن تلك الجهة ياتى مرض بدنه والتوفيق فى الامور بيد الله تعالى وكل ميسر لما خلق له، وعناية الله تعلى محيطة لجميع الاشياء ومتصلة بكل احد وكل كائن فبقضائه وقدره والشرور ايضا بقدره وقضائه لان الشرور على سبيل التبع للاشياء التى لا بد لها من (***الشرور، والشرور الواصلة الى الكائنات الفاسدات وتلك الشرور محمودة على طريق العرض اذ لو لم يكن تلك الشرور

*) Verbum يستنبط desideratur in cod. B.

**) A. pr. بعد البدن, quod utrumque coniunximus. Sequentia vocabula سعادات et شقاوات in cod. B. transposita leguntur.

***) A. pr. الشر

الكيفيات (* تبطل و تخلفها غيرها والصور باقية بحالها وما يحصل من الامزجة الاربعة يبقى قواها وصورها ولا يفسد وحقيقة المزاج هو تغيير الكيفيات الاربع عن حالها وانتقالها من ضد الى ضد وتلك هي الناشية من القوى الاصلية وتاثير بعضها فى بعض حتى يحصل كيفية متوسطة حكمة البارى تعالى فى الغاية لانه خلق الاصول واظهر منها الامزجة المختلفة وخص كل مزاج بنوع من الانواع وجعل كل مزاج كان ابعد عن الاعتدال سبب كل نوع كان ابعد عن الكمال، وجعل النوع الاقرب من الاعتدال مزاج البشر حتى يصلح لقبول النفس الناطقة ولكل نوع من النبات نفس هى صورة ذلك النوع ومن تلك الصورة يظهر القوى التى تبلغ بذلك النوع كما له بالالات التى بها يفعل وحال كل نوع من انواع الحيوان على هذا،

٢٠ وللانسان من جملة الحيوان خواص بان له نفسا يظهر منها قوى بها تفعل افعالها بالالات الجسمانية وله زيادة قوة بان يفعل لا بالة جسمانية وتلك قوة الفعل ومن تلك القوى الغاذية والمربية والمولدة ولكل واحد من هذه قوى تخدمها ومن قواها المدركة القوى الظاهرة والاحساس الباطنة المتخيلة والوهم والذاكرة والمفكرة والقوى المحركة الشهوانية والغضبية والتى تحركه الاعضاء وكل واحدة من هذه القوى التى ذكرناها يفعل بالة ولا يمكن الا كذلك وليس ولا واحدة من هذه القوى بمفارقة،

٢١ ومن هذه القوى العقل العلمى وهو الذى يستنبط ما يجب فعله من الاعمال الانسانية ومن قوى النفس العقل العملى وهو الذى يتم به جوهر النفس ويصير جوهرا عقليا بالفعل ولهذا

*) A. pr. تبطلها

خفيف والفلك لا يخرقه شيء وليس فيه مبداء حركة مستقيمة وليس بحركته ضد، وليس وجود الفلك ليكون عنه شيء اخر بل تلك له حال خاصة وحركة نفسانية لا طبيعية وليست حركته لشهوة وغضب لكن من جهة أن له شوقا الى التشبه بالعقليات المفارقة للمادة ولكل واحد من الاجرام الفلكية عقل مفارق خاص له يشتاق الى التشبه به ولا يجوز ان يكون شوق لجميع الى شيء واحد من جنس واحد بل كل واحد له معشوق خاص مخالف لمعشوق الاخر والكل مشتركون في ان المعشوق واحد وهو المعشوق الاول ويجب ان يكون القوة المحركة لكل واحد بلا نهاية، والقوى الجسمانية كل واحدة منها متناهية ولا يجوز ان يكون قوة متناهية يحرك جسما زمانا غير متناه ولا ان يحرك جسما غير متناه قوة متناهية ولا يجوز ان يكون جسم علة لوجود جسم ولا علة نفس ولا علة عقل،

١٨ والاجسام الكائنة من الاركان الاربعة فيها قوى يعطيها الاستعداد للفعل وهي الحرارة والبرودة وقوى يعطيها الاستعداد لقبول الفعل وهي الرطوبة واليبوسة وفيها قوى اخر فاعلة ومنفعلة كالذوق الفاعل في اللسان والفم والشم الفاعل في الة الشم وكالصلابة واللين والخشونة واللزوجة وهذه كلها يظهر من تلك الاربع التي هي اولى، والجسم الشديد الحرارة بطبعه هو النار والشديد البرودة هو الماء والجارى الهواء والشديد الانعقاد الارض وهذه المواد الاربع التي هي اصول الكون والفساد قابلة لاستحالة بعضها الى بعض، والاشياء الكائنة الفاسدة التي يظهر انما يظهر من الامزجة التي تظهر فيها على النسب المختلفة التي تعطيها الاستعداد لقبول الخلق المختلفة والصور المختلفة التي بها قوامها،

١٩ ويظهر من هذه الصور الكيفيات المحسوسة وهذه

مكانا وليس للفراغ وجود، والجهة تتحدد من الاجرام السماوية لانها محيطة ولها مركز، والجسم الذى يكون فيه الميل الطبيعى لا يتاتى فيه الميل القسرى لانه متى كان فى طبعه الميل الدورى لا يجوز ان يقبل الميل المستقيم، وكل كائن فاسد ففيه الميل المستقيم وللفلك بطبعه الميل المستدير،

١٥ وليس مقدار ينتهى بالقسم الى ان لا يكون له جزء والاجسام ليست مركبة من اجزاء لا جزء لها ولا يتاتى من الاجزاء التى لا جزء لها تاليف الجسم ولا الحركة ولا الزمان والاشياء ذوات المقادير والاعداد ذوات (* التركيب لا يجوز ان يحصل بالفعل بلا نهاية ولا يجوز بعد بلا نهاية فى الفراغ والملاء ان جاز وجود لا نهاية ولا يجوز ان يكون حركة متصلة الا الحركة المستديرة والزمان يتعلق بهذه الحركة والحركات المستقيمة لا يكون لها اتصال لا حيث يتوجه فى جهة ولا حين يتعطف ولا حين يعمل زاوية فى انعطافها،

١٦ وكل جسم له مكان خاص اليه ينجذب فان كان جسم بسيطا وجب ان يكون مكانه وشكله على نوع واحد لا يكون فيه خلاف ويكون هكذا الجسم المستدير وشكل كل واحد من الاربعة على مثال الكرة، وكل جسم فله قوة يكون ابتداء حركته بذاته، وسبب اختلاف الانواع اختلاف مباديها التى منها وبسايط العالم لها اماكن تكون فيها (** وليس ولا لواحد منها مكانان، والعالم مركب من بسايط صاير كرة واحدة وليس خارج العالم شىء فليس اذن فى مكان ولا يفضى الى فراغ والى ملاء، وكل جسم طبيعى اذا انتهى الى مكانه الخاص لم يتحرك الا بالقسر فاذا فارق مكانه يتحرك اليه بالطبع،

١٧ وطبع الفلك طبع خامس لا حار ولا بارد ولا ثقيل ولا

---

*) A. pr. ترتيب

**) A. pr. فيها

